DE
TEMPORUM APUD PRISCOS SCRIPTORES LATINOS USU
QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVIII. M. MARTII A. MDCCCLXXXVIII. HORA XII.
IN AULA MINORE
PULICE DEFENDET

JOSEPHUS SCHNEIDER
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
LOTHARUS RUSKE, DR. PHIL. BERNHARDUS SCHUBERT, CAND. PHIL.

GLACIAE.
TYPIS L. SCHIRMERI.

PARENTIBUS MEIS CARISSIMIS.

De temporum apud priscos scriptores latinos usu quaestiones selectae.

A Ciceronianae orationis elegantia et concinnitate priscorum scriptorum sermonem varium in modum discrepare in dies iam magis apparet. Ex quo enim viri docti Fr. Ritschelio duce illorum libros in pristinum restituere coeperunt nitorem, nova atque insperata lux arti grammaticae illata est. Nam tum demum certo eventu potuit exquiri, quomodo lingua latina a rudibus profecta primordiis in elegantiorem illam et urbaniorem dicendi rationem magis magisque profecerit. Hanc vero historicam quae vocatur scrutandi rationem ad pertractandas externas linguae formas adhuc magis adhibuerunt, syntaxis autem, quamquam singulae quaestiones summa cum diligentia et sagacitate absolutae sunt, in universum non iam satis accurate illustrata est. Holtzii[1]) enim librum rei propositae non sufficere facile intelleget, quicunque accuratius in aliquam operis partem ipse inquisiverit. Draegerus[2]) vero materiam recte sane et ordine disposuit neque tamen ipse plane exhausit. Itaque et de aliis multis et de temporibus grammaticis, quae quidem syntaxeos pars gravissimi est momenti, non iam ad finem perducta est disquisitio. Attigerunt quidem hanc rem imprimis Hoffmannus[3]) in libro, quem de sententiis temporalibus diligenter conscripsit, et Lübbertus[4]) in ea disputatione, qua structuram particulae „quom" et temporum relativorum originem insigni cum subtilitate exposuit. Qui tamen, cum enuntiata temporalia maxime respiciant et ex horum praecipue usu tempora explicare instituant, in gravissimis quibusdam rebus admodum inter se differunt. Sed tum demum ad certam temporum cognitionem nos pervenire posse censeo, si omnia, quantum fieri potest, usus genera expenderimus atque inter se comparaverimus. Qua via et ratione usus est Madvigius[5]) in pertractando futuro exacto et coniunctivo perfecti atque totam harum formarum provinciam diligentissime percensuit. Eandem rem postea magno mentis acumine explanavit et primitivam futuri exacti significationem enucleavit Lübbertus[6]). De ceteris autem temporibus nondum eodem modo

---

1) Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium. 2 vol. Lips. 1861—62. 2) Historische Syntax der lateinischen Sprache. 2 Bde. Leipzig, 1870. 2. Aufl. 1881. 3) cf. quod iudicat Deecke in Bursians Jahresbericht über die Fortschritte der class. Alterthumswissenschaft. 1885. Zweites Heft. 4) Die Construction der latein. Zeitpartikeln. 2. Aufl. Wien, 1873. 4) Die Syntax von Quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein. Breslau, 1870. (Grammat. Studien, 2. Theil). 5) Opuscula academica altera. 6) Der Coniunctivus Perfecti und das Futurum exactum im älteren Latein. Breslau, 1867. (Grammat. Stud. 1. Theil).

disputatum est. Quare in temporum indicativi usum, qualis valeat apud scriptores priscos, inquirere institui ita, ut sententias primarias maxime respicerem, quo facilius intellegeretur, quatenus in enuntiatis pendentibus primitiva cuiusque temporis notio servata aut quemadmodum ad indicandas quasdam sententiarum relationes variata esset. Itaque, etsi tum demum temporum syntaxis historica absoluta erit, cum ab antiquissimis linguae latinae documentis profecta ad universam litterarum memoriam pertinebit et omnes rei partes complectetur, tamen aliquid ad hoc opus exaedificandum contulisse mihi videor.

In singulis exemplis expendendis praecipue cavendum est, ne quicunque loci insolentiorem vel inconcinniorem praebent structuram, invitis codicibus coniectura commutemus, itemque ne versuum pangendorum necessitati nimium tribuamus; nam etsi poeta, ubi plures ad eandem rem exprimendam rationes adhiberi poterant, eam saepe elegisse putandus est, quae maxime ad versum faceret, tamen eum ipsius metri causa plane inauditum quicquam et inusitatum posuisse non est credibile, idque eo minus, si plura eiusdem rei exempla inveniuntur.

In diiudicandis linguae latinae temporibus haec duo omnino respicienda esse inter omnes constat: verbi formis significatur, utrum res loquendi tempore valeat, an sit praeterita an futura, simulque actio aut infecta aut perfecta exprimitur; itaque duo temporum grammaticorum genera distinguuntur: tempora actionis infectae: praesens, imperfectum, futurum et tempora actionis perfectae: perfectum, plusquamperfectum, futurum exactum.[1])

I.

1. Praesentis usus in prisca latinitate latissime patet. Cuius temporis provincia, cum medium locum inter praeteritum et futurum obtineat, omnino certis finibus circumscribi vix potest, sed in utramque partem magis minus dilatari solet. Itaque haud raro res praesenti forma expressae inveniuntur, quae, quamquam ad ipsum loquendi momentum proxime accedunt, tamen aut iam absolutae aut nondum agi coeptae sunt.

2. Quam rationem verba dicendi praecipue sequuntur in alacriore colloquio, ubi tam vivida est ipsius rei cogitatio, ut qui loquuntur et alias res, praesertim cum e sensu facile possint colligi, et iustum tempus verbo exprimere saepe neglegant. Plaut. Most. 1119

1) In laudandis locis editiones secutus sum hasce: T. Macci Plauti comoediae. Ex rec. Fr. Ritschelii. Bonn. 1848 sqq. sec. cur. Lips. 1871 sqq. P. Terenti comoediae rec. A. Fleckeisen. Lips. 1857. Tragicorum latinorum reliquiae rec. O. Ribbeck. sec. cur. Lips. 1871. Comicorum romanorum fragmenta rec. O. Ribbeck. sec. cur. Lips. 1873. Fragmenta poetarum romanorum coll. Ae. Baehrens. Lips. 1886. M. Porci Catonis de agri cultura liber M. Terenti Varronis rerum rusticarum libri tres ex rec. H. Keilii. Lips. 1884. M. Terenti Varronis de lingua latina libri em. L. Spengel. Berol. 1885. Varronis Menippearum reliquiae (adiectae Petronii satiris) ed. F. Buecheler. Berol. 1882. M. Tullii Ciberonis scripta rec. C. F. W. Mueller. Pars. I op. rhet. rec. G. Friedrich. Lips. 1884. — Cetera suo loco adnotavi.

,Aliut te **rogo.** || Aliut ergo nunc ego tibi **respondeo.**' **rogo** ad id quod supra (v. 1117) dictum est, **respondeo** autem ad futurum spectat. Huc pertinent certae quaedam dictiones in comicorum sermone frequentatae, de quibus infra dicturi sumus.

3. Praesens de iis quoque vulgo usurpari, quae fieri solent, non est, cur pluribus exponam. Deinde ut apud recentioris aetatis scriptores iam a priscis praesens adhibetur ad exprimendas actiones, quae praeteriti temporis partem complexae praesenti etiam continuantur; saepe in hanc sententiam coniungitur cum particulis „iam diu", „iam dudum" similibus. Eandem notionem nonnunquam exhibent sententiae temporales, in quibus praesens cum coniunctionibus „quom" et „postquam" ponitur, quae quidem structura apud Plautum et Terentium frequenter nobis occurrit[1]). Plaut. Most. 589 ,Multos me hoc pacto iam dies **frustramini.**' Merc. 534 ,iam bienniumst, **quom habet** rem tecum?' Most. 925 ,Quid? tibin' unquam quicquam, **postquam tuus sum,** verborum dedi?'

4. Praeterea autem praesens haud raro legitur de actione plane praeterita, quae cogitatione quodammodo repraesentatur. Cuius rei duo potissimum genera commemoranda sunt comicorum sermonis propria, quae grammaticos adhuc prorsus videntur effugisse. Ac primum verba iubendi et dicendi praesenti forma nonnunquam exprimunt, quod quis iam antea iussit aut dixit, sed quod idem loquentis etiam tempore valet. Plaut. Men. 776 pater a filia arcessitus ita eam interrogat: ,salvan' accersi **iubes?**' Ter. Ad. 924 ,**Jubet** frater? ubi is est? tun **iubes** hoc, Demea? Ego vero **iubeo.**' Heaut. 579 ,Clitipho, haec ego **praecipio** tibi? Hominis frugi et temperantis functu's officium.' Quibus verbis Syrus Clitiphoni praecepta, quae ipse ei dederit, cum vituperatione in mentem revocat. Similem in modum nostrates fere dicunt: „Gebe ich dir diese Vorschriften? schreibe ich dir das vor?" pro: „Habe ich dir das vorgeschrieben?" Plaut. Bacch. 1096 sq. ,Ita miles **memorat** meretricem esse eam quam ille uxorem esse aiebat: Omniaque ut quicque actumst, memoravit.' Ter. Heaut. 192 ,Quid **narrat?**' Quaeritur, quidnam Clinia, qui ipse abest, ex itinere reversus narraverit. id. Andr. 434. Ita nos quoque dicimus: „Was erzählt er?" aut: „Was sagt er denn?" — Plaut. Aul. 694 sq. ,Ei hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum, Ut istuc, quod me **oras,** inpetratum ab eo auferam.' Capt. 421 sq. ,Suum erum servos conlaudavit. Pol istic me haud centensumam Partem **laudat,** quam ipse meritust ut laudetur laudibus., Ter. Andr. 470 ,quid hic sensisse **ait?**' Andr. 576 sq. ,Ipsus mihi Davos dixit: Et is mihi **suadet** nuptias quantum queam ut maturem' (ad rem cf. vv. 521 sq.). — Quare retinendam esse censeo codicum scripturam Plaut. Pseud. 1080 ,Quid **ait?** quid **narrat?** quaeso quid **dicit** tibi?' ubi editores Bothio auctore praesens ,dicit' in perfectum ,dixit' commutarunt. ,dicit' enim in eandem sententiam facile potest explicari ac quae praecedunt praesentia. Item Luc. XXVI, 498 ,At enim **dicis,** clandestino tibi quod commissum foret, Ne muttires quoiquam neu mysteria ecferres foras.' Baehrens Bentinum secutus ,dixi' recepit.

Simili modo praesenti forma audio utitur, qui se per famam aliquid audisse dicere vult, quod etiamnunc in hominum sermone versetur, quae dicendi ratio etiam in posterioris

[1]) Lübbert, Die Syntax von Quom, p. 49 sq. — Holtze, Synt. II, p. 63.

aetatis usum transiit. Plaut. Aul. 796 ,quod ego facinus ex ted **audio?**' Ter. Andr. 779 sq. ,iam susurrari **audio,** Civem Atticam esse hanc.' Sest. Turp. Com. 24 ,Nec recte dici mihi quae iam dudum **audio.**' al.

His locis actio ipsa praeteriti temporis est, sed ad id pertinet, quod quis velit, sentiat, sciat, sive quod animo retineat, atque quovis tempore potest repeti.

5. Cum hoc praesentis genere non est confundendum illud, quo quis actionem aliquam praeteritam ut facinus quoddam mirabile atque inauditum aut alii personae aut suo ipsius animo considerandum et reputandum subicit. Magna cum animi commotione vel indignatione, quod semel tantum factum est, generalem in modum, ut quod omnino quispiam audeat facere, ei obiectatur, scilicet ad mores sive consuetudinem eius in universum illustrandam. Plaut. Men. 729 sq. matrona cum marito suo quem putat Menaechmo, quod pallam ipsi ademptam amicae donaverit, ita rixatur: ,Ne istuc mecastor iam patrem accersam meum Atque ei narrabo tua flagitia quae **facis**', et interroganti Menaechmo ,Quae mea flagitia?' mulier ira furens respondet vv. 734 sqq. ,Pallas atque aurum meum[1]) Domo **suppilas** (clam) tuae uxori et tuae **Degeris** amicae. satin haec recte fabulor?' Et a patre monita, ut irae moderetur, virum accusat vv. 803 sq. ,At ille **suppilat** mihi aurum et pallas ex arcis domo: Me **despoliat**, mea ornamenta clam ad meretrices **degerit.**' Respondet senex vv. 805 sq. ,Male **facit**, si istuc **facit**: si non **facit**, tu male **facis**, quae innocentem insimulas.' Elucet ex hoc exemplo, de industria praesens esse positum pariter ac pluralia ,pallas' et ,meretrices' — res ipsa enim singularia postulat — ut detestabilis agendi illa ratio eo maiore pondere audientibus ante oculos ponatur. Idem sensus plane etiam apparet Men. 559 sqq., ubi coniunctivus praesentis legitur: ,Egone hic me patiar esse in matrimonio, Ubi vir **compilet** clanculum quicquid domist Atque (hinc) ad amicam **deferat?**' — Alia exempla sunt haec: Cas. 3, 2, 19 sqq. ,Quid ego nunc faciam? flagitium maximum feci miser —. operam uxoris **polliceor** foras quasi catillae!' Rud. 711 sq. ,Jus meum ereptumst mihi. Meas mihi ancillas invito me **eripis.**' Mil. 857 sq. ,Abi abi intro. Jam vos in cella vinaria Bacchanal **facitis.**' Trin. 168 ,(Quia, ruri dum ego sum unos sex dies,) — Aedis venalis hasce **inscribit** litteris'. Ter. Eun. 1021 sq. ,Tu iam pendebis, qui stultum adulescentem **nobilitas** flagitiis et eundem **indicas.**' — Cum miratione simul laudem exprimit praesens hoc loco: Plaut. Asin. 440 ,Nunc sat agit: **adducit** domum etiam ultro et **scribit** nummos.' Huc etiam referendus est locus ex Ennii tragoediis petitus: Enn. Trag. 194 ,Ego **proiector** quod tu **peccas**: tu **delinquis,** ego **arguor?**'[2]) ubi praesens tempus haud minus respiciendum est quam modus indicativus, utrumque enim orationi gravitatis signum imprimit. Conferendi sunt qui subsequuntur versus: ,Pro malefactis Helena redeat, virgo pereat innocens? Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia?'

Apparet igitur, huic praesentis usui semper rhetoricam inesse vim, quae plane diversa est a narrativo illo genere, de quo nunc paucis acturi sumus.

---

[1]) Vahleni lectionem a Brixio receptam sequor, quae proxime ad litteras traditas accedit. Praebent enim libri: pallam atque aurum, Ritschelius scribit: Pallam . . . . **quom** meum. [2]) retinendam enim iudico lectionem Vahleni (Enn Trag. 265 sqq.).

6. Praesens historicum quod proprie dicitur in narratione continua adhibetur ad enuntiandas res praeteritas, quae vivida recordatione in memoriam rovocatae loquentis animo quasi praesentes obversantur. Quodsi primum enuntiata primaria diligentius attenderimus, facile apparebit, in usurpando praesenti historico ab antiquis comicis — ceteri scriptores vel propter reliquiarum tenuitatem vel propter exemplorum paucitatem minus hoc loco respiciendi sunt — certam regulam non esse servatam, sed praesens, perfectum et infinitivum etiam historicum promiscue se invicem excipere. Plaut. Capt. 504 sqq. ‚ibi vix **requievi**, ilico **Rogo** syngraphum: **datur** mihi: **Dedi** Tyndaro: ille **abiit** domum. Domo inde ilico **praevertor**, postquam id actumst. **Eo** protinus ad fratrem inde, ubi mei sunt alii captivi: **Rogo** Philocratem equitem ex Alide Ecquis hominum noverit? Tandem hic homo **Exclamat**, eum sodalem sibi esse: **dico** esse apud me. Hic extemplo **orat opsecratque**, eam sibi videre ut liceat. **Jussi** ilico hanc exsolvi.‘ Curc. 350 ‚**Vocat** ad cenam: religio **fuit**, denegare **nolui**.‘ — Ter. Eun. 617 sqq. ‚Nam postquam iste **advenit** Chremes adulescens, frater virginis, Militem **rogat** ut illum admitti iubeat: ille continuo **irasci**, Neque negare **audere**. Thais porro **instare**, ut hominem invitet. Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quae cupiebat De sorore eius indicare ad eam rem tempus non erat. **Invitat** tristis: **mansit**. ibi illa cum illo sermonem ilico. Miles vero sibi **putare** adductum ante oculos aemulum, **Facere** contra huic aegre: ‚heus‘ **inquit** ‚puer, arcesse Pamphilam, ut delectet hic nos.‘ illa **exclamat**: ‚minume gentium: In convivium illam?‘ miles **tendere**, inde ad iurgium. Interea sibi clam aurum mulier **demit**, **dat** mi ut auferam‘. Alia exempla vide apud Holtzium[1]), quem miror Perizonii de Terent. Andr. v. 129 adnotationem recepisse: „Quare in superioribus non item dicitur Fletum est? Nempe in narranda re praeterita praesens adhiberi videtur a Terentio in re longioris morae, at praeteritum in re, quae uno actu perpetrata seu breviter confecta est. Veluti: in ignem posita est“. Quae interpretatio etsi ad ipsum hunc locum videtur quadrare, tamen communi usu eiusmodi regulam minime comprobari cum alia quae ipse Holtzius attulit exempla, tum ii qui proxime praecedunt versus clare docent: Andr. vv. 123 sq. ‚**accedo** ad pedisequas, Quae sit **rogo**. sororem esse **aiunt** Chrysidis.‘

Hoc vero adnotandum est, narrationem perfecto plerumque incipere ab eoque ad praesens progredi et saepe concludi rursus perfecto. Plaut. Curc. 329—363; Rud. 366—372; Bacch. 259—309. Ter. Hec. 365—402; Eun. 107—143; 204—262; Phorm. 65—136.

Haud raro leguntur primo loco perfecta cum particulis temporalibus „postquam, ubi, ut“ coniuncta: Plaut. Amph. 1091, Curc. 329, Stich. 364. Ter. Andr. 590, Phorm. 617, Heaut. 275.

Etiam apud ceteros scriptores priscos praesentis historici satis multa extant exempla: Enn. Ann. I, 28 (Baehr.), 42, 55; VI, 140, 153; VII, 164, 180; VIII, 196; XVI, 288. Luc. IV, 133. Varr. l. l. V § 144.

Cum vero inter praesens et perfectum historicum in sententiis primariis certum dis-

---

1) Synt. II, p. 64 sq.

crimen statui omnino non possit, aliter res se habet in sententiis temporalibus[1]), de quibus infra dicturi sumus.

7. Iam transeamus ad tractanda ea praesentis exempla, quae rem futuram continent, qui quidem apud priscos poetas comicos frequentissimus est usus.

Non ita memorabilis videtur praesentis usus in enuntiandis eiusmodi rebus, quae praesenti tempore valere simulque in futurum pertinere possunt: Plaut. Merc. 495 ,Bene vale! — Non edepol **possum** prius quam tu ad me redieris.' Men. 215 ,Quando **vis**, **veni**: parata res erit.'

8. Praesenti vero tempore etiam id praedicari solet, quod continuo agi incipitur, itaque persaepe praesens verborum „ire, abire, exire" sim. de eo dicitur qui iam abiturus est: Plaut. Amph. 1039 ,intro ego hinc **eo**'. Rud. 1013 ,**Abeo** ego hinc.' Rud. 904 ,**redeo** domum'. Amph. 1143 ,ego in caelum **migro**.' Ter. Heaut. 379, Phorm. 309, Hec. 273.

9. Sed praesens saepe etiam de iis rebus in comicorum sermone usurpatur, quae loquendi momentum omnino non attingunt.

Ac primum quidem praesentis formis affirmativa quaedam vis inest, ubi actio futura admodum confidenter pronuntiatur, ut quae tam certo sit eventura, quam si ipso loquendi momento iam conficiatur. Plaut. Rud. 1371 ,Neque edepol tibi **do** neque quicquam debeo.' Cist. 2, 3, 17 ,Ego te **reduco** et **voco** ad divitias.' Ter. Eun. 1066 ,Sic **ago**.' Ad. 138 ,Unum vis curem, **curo**.' Phorm. 1044 sqq. ,Neque ego **ignosco** neque **promitto** quicquam neque **respondeo**, Priusquam gnatum videro: eius iudicio **permitto** omnia. Quod is iubebit, faciam.' Andr. 352, 371. — Ironiam quandam haec affirmativa praesentis forma videtur exhibere Luc. XXVIII, 590 ,— ἀρχαῖς hominem et stoechiis simul Privabit; igni cum et aqua interdixerit, Duo **habet** stoechia.'

10. Aliis locis praesens magis festinationem promittentis indicat. Plaut. Bacch. 794 ,Manedum parumper: iam **exeo** ad te.' id. 1052. Stich. 623 ,Deos salutabo modo, poste ad te continuo **transeo**.' Asin. 379 ,iam ego **recurro** huc: tu hunc hic interea tene.' Curc. 568. Ter. Heaut. 502 ,Continuo **adsum**.' 779 ,Abi, ecfer argentum. || **Ecfero**.'

11. Nonnunquam autem praesens pro futuro invenitur, ubi sententiarum conexu non potest explicari. Referendus vero est hic usus ad simplicem et liberam illam comicorum sive quotidianae vitae dicendi consuetudinem, quae ab omni curiosa subtilitate remota accuratiorem rerum distinctionem saepe solet neglegere. Itaque quae res ipso orationis momento in sermocinantis cogitatione versantur, praesentis forma, ut quae proxima et facillima sit, haud raro enuntiantur: Plaut. Stich. 612 ,Ibisne ad cenam foris? Aput fratrem **ceno**.' Bacch. 592 ,Non **it**: negat se ituram.' Pseud. 455 ,Erum **saluto** primum.' Mil. 1291 ,Iam ego hanc **arcesso** Philocomasium.' Stich. 66 ,Iam ego domi adero: ad meam maiorem filiam **inviso** modo.' — Ter. Andr. 404 ,**Reviso**, quid agant.' id. Eun. 923. Ad. 889 ,Era, ego huc ad hos **proviso**, quam mox virginem arcessant.' Ad. 330 ,emptae mulieres complures et item hinc alia quae **porto** Cyprum.'

---

[1]) J. Lange, qui praesens et perfectum historicum promiscue usurpari negat, temporalia solum enuntiata respexit in dissertatione sua: De sententiarum temporal. apud priscos scriptores Latinos syntaxi. Vrat. 1878, p. 4.

In eiusdem sententiae tenore simul praesens et futurum leguntur: Plaut. Cist. 2, 3, 85 sq. ‚**Ibo** domum atque ad parentis **redduco** Silenium.‘ Ter. Hec. 513 sqq. ‚**porto** hoc iurgium ad uxorem, — Atque in eam hoc omne quod mihi aegrest **evomam.**‘ Heaut. 1001 sq. ‚ad Menedemum hunc **pergam.** eum mihi precatorem **paro.**‘

Itaque Plaut. Trin. 679 quod codices praebent ‚datur‘ retinendum est neque cum Hermanno in ‚dabitur‘ mutandum: ‚**datur** ignis, tamenetsi ab inimico petas.‘

12. Imprimis frequens est praesentis usus in enuntiatis condicionalibus ad futurum spectantibus. Atque saepissime quidem in protasi praesens legitur, cuius rei causa in ipsa condicionis natura posita est. Cum enim res non fieri, sed cogitatione tantum fingi dicatur, eadem ratio facile a praesenti tempore etiam ad futurum refertur. Itaque haec structura ne a Ciceroniana quidem oratione aliena est.[1]) — Saepe etiam praesentis forma eo defenditur, quod actionem statim conficiendam aut talem, quae praesens et futurum tempus una complectatur, significat. Plaut. Merc. 188 ‚Hercle vero vapulabis, nisi iam **loquere** aut hinc **abis.**‘ Pers. 827 ‚Malum ego vobis dabo, ni **abitis.**‘ Mil. 476 sq. ‚si **sapis,** mussitabis.‘ Ter. Andr. 208 ‚Quae si non astu **providentur,** me aut erum pessumdabunt.‘ Plaut. Amph. 354, 357, 440. Asin. 193, 281. Curc. 386. Mil. 446, 1054. Ter. Hec. 113.

Ubi vero praesens in sententia primaria legitur, plerumque aut rhetoricam vim habet aut modalis est locutio, velut si „posse, oportere, bonum aut malum esse, satis esse“ similia praedicantur aut futuri notio aliquo modo describitur. In Terentianis quidem exemplis eiusmodi rationem semper valere, si accuratius attenderis, facile invenies. Plaut. Poen. 671 ‚**Rex sum,** si ego illum hodie ad med hominem adlexero.‘ Ter. Andr. 244, quod si fit, **pereo** funditus.‘ — Plaut. Curc. 328, Invenire **possum,** si mi operam dabis.‘ Ter. Phorm. 693 ‚Phormis dotem si accipiet, uxor **ducendast** domum.‘ Plaut. Mil. 697 ‚**Flagitiumst,** si nil mittetur.‘ Bacch. 911 ‚**Satin est,** si plura ex me audiet?‘ Ter. Phorm. 586 ‚Quod si fit, **ut** me **excutiam atque egrediar** domo **restat.**‘

Itaque etiam omnibus iis quos Holtzius et qui eum secutus est Draegerus[2]) attulerunt locis talem causam intercedere videmus, qua praesentis formam rei consentaneam vel potius consilio positam esse appareat. Praeter ea autem sat multa restant sententiarum condicionalium exempla, ubi praesens, praesertim in membro relativo, neque sententiarum conexu neque verbi natura poscitur vel defenditur: Plaut. Curc. 69 ‚Quod si non **adfert,** quo me vortam, nescio.‘ Stich. 71 ‚Gratiam si pace **petimus,** spero ab eo impetrassere.‘ Pseud. 456 ‚Si quid **superfit,** vicinos **impertio.**‘ Ter. Ad. 531 ‚sed si hic **pernocto,** causae quid dicam?‘ 181 ‚nunc si hoc palam **proferimus,** ille infitias ibit.‘ — Plaut. Asin. 114, 712. Pseud. 94 sq. Mil. 1416. Men. 1093. Curc. 69. Mil. 455.[3]) Ter. Phorm. 675. Andr. 322. Heaut. 1054. Non recte igitur Ritschelius Plaut. Mil. v. 843 ‚Si falsa **dicis** — excruciabere‘ pro praesenti quod codices praebent, futurum ‚dices‘ videtur substituisse. Praesens et futurum una leguntur his locis:

---

[1]) cf. Henr. Blase, De modorum temporumque in enuntiatis condicionalibus Latinis permutatione quaestiones selectae. Argentor. 1885. p. 46. (Diss. Argent. X). [2]) Syntax II, p. 703 sq. et p. 713 sq. § 548. [3]) Ceterum conferenda sunt exempla, quae collegit Rothheimer, De enuntiatis condicionalibus plautinis, Goetting. 1876, qui vero non ita ut par erat, notionis differentiam respexit.

Plaut. Mil. 931 sqq. ‚at ego hoc si **efficiam** plane — (si) hodie hunc dolum **dolamus**, quid tibi ego mittam muneris?' Pseud. 143 sqq. Ter. Heaut. 696 sq. ‚si nunc a nobis **abis** et Bacchidem **relinquis**, Senex resciscet ilico esse amicam hanc Clitiphonis, Si **abduxeris**, celabitur.'

13. Ex his igitur exemplis satis elucet, praesentis formam non semper certae cogitationi indicandae servire, sed nonnunquam simplicitati atque incuriae illi esse tribuendam, qua inconcinnior quidem et incomptior, sed eo maiore cum alacritate oratio comicorum procedit. — Itaque persaepe etiam infinitivus praesentis pro infinitivo futuri vel etiam pro accusativo cum infinitivo futuri invenitur, id quod Holtzius iam multis exemplis docuit. — Eadem licentia praesens ponitur in enuntiatis interrogativis, quibus, num res aliqua eventura sit, quaeritur: Plaut. Stich. 531 ‚Hodiene **exoneramus** navem?' Ter. Andr. 301 ‚Quid ais, Byrria? **Daturne** illa Pamphilo nuptum?' Andr. 321 ‚Hodie uxorem **ducis?**'

14. Praecipue autem poetae comici indicativi praesentis formam captant in formulis interrogativis, quibus animi affectio, velut admiratio, indignatio, reprehensio, adhortatio exprimitur. Cuius rei tractatio quamquam partim ad modorum partim ad particularum disciplinam magis pertinet, tamen, cum singularis praesentis temporis usus in ea appareat, hic breviter explicare licet. Nonnullas eiusmodi dictiones editores hic illic in adnotationibus exemplis illustrarunt; itemque Holtzius[1]) locos contulit atque E. Beckerus[2]) complures locutiones percensuit in iisque dubitationis vel indignationis notionem agnovit. Qui cum magis particularum ordinem secuti sint, ut rectius hanc dicendi proprietatem perspiciamus, omnia quae similis sunt naturae, conferamus et cuiusque generis rationem perquiramus oportet.

a) Indicativo praesentis primum utitur, qui de alterius cunctatione indignatus comperire vult, utrum quod postulat tandem aliquando perficiatur an reiciatur. Praesentis igitur forma indicat festinantis affectum, qui graviter rem ipsam premit. Plaut. Asin. 712 ‚**Datisne** argentum?' Aul. 255 ‚quid nunc? etiam mihi **despondes** filiam?' Bacch. 1167. Poen. 343 ‚Quid ais tu? quando illi apud me mecum caput et corpus **copulas?**'

Haud raro in hunc modum quaeritur praegressis particulis „quam mox": Plaut. Rud. 1412 ‚**Quam mox** mi argentum ergo **redditur?**' Ter. Eun. 788 ‚**Quam mox inruimus?**' Plaut. Rud. 1227. Pseud. 1166. Mil. 1406. Bacch. 775. Cas. 3, 6, 16.

b) Mirationem et indignationem deinde pronomen „ecquis" et magis etiam duplicis interrogationis forma indicat: Plaut. Pseud. 1139 ‚**Ecquis** hoc **aperit?**' Truc. 255 ‚**Ecquis** intus **exit?**' Rud. 1399 ‚**Tacen an non?**' Ter. Andr. 186 ‚**Hocine agis an non?**' Plaut. Capt. 846. Mil. 449. Aul. 652.

c) Aliis locis interrogatio indicativo praesentis expressa meram imperativi vim habet, quasi gravetur qui interrogat, quod res desiderata ipso loquendi momento non iam peracta sit. Usurpantur in hanc sententiam particulae „ne, etiam, etiamne", saepe addito prono-

---

[1]) Synt. II, p. 242 sqq. [2]) De syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos. Studemundi Studia I (1873).

mine personali „tu".[1]) Plaut. Pers. 792 ‚fer aquam pedibus. **praeben** puere?' Aul. 660 ‚**fugin** hinc ab oculis? **abin an non?**' Ter. Andr. 317 ‚**abin** hinc in malam rem?' Plaut. Most 660, 850, 887. Curc. 311. Trin. 457. Ter. Andr. 337. Eun. 861. Plaut. Most. 383 ‚**Etiam vigilas?**' (Recte Lorenzius: „Willst du gleich wach sein?"). Pers. 412 sq. ‚**Accipin** argentum — **etiam tu** argentum **tenes?**' Ter. Heaut. 235 ‚**Etiam caves?**' Phorm. 542 ‚**etiam tu** hinc **abis?**' Plaut. Pers. 275, 278. Asin. 714 sq. Ter. Andr. 849. Ad. 550. — Plaut. Men. 697 ‚Redi. **etiam astas? etiamne audes** mea revorti gratia?' Poen. 431 ‚**etiamne abis?**' Most. 937.

d) His omnibus locis id quod verbum continet, graviter flagitatur; praesens igitur rem futuram exprimit. Alia autem natura est interrogationis, si praesentis forma de eo usurpatur, quod re vera praesenti tempore peragitur. Etenim hanc rem mirandam et incredibilem videri hoc interrogationis genus significat, eique improbandi et dehortandi vis saepe immixta est. Imprimis usitatae sunt formulae: „rogas? rogitas? quid rogas? quid ais? ain tu? ain vero?" sim.[2]) Plaut. Poen. 1046 ‚Hem, **quid** ego **audio?**' Trin. 1080. Ter. Andr. 240, 465, 592. Plaud. Pseud. 96 ‚**Quid fles,** cucule? vives.' Mil. 1387 ‚**quid stas? quin** intro **is?**' Ter. Heaut. 250 ‚Propera: **quid stas?**' Varr. Men. 135, 217, 477. Corn. (ed. Mueller) 4, 52, 65.

e) Haud raro haec interrogandi ratio est graviter obiurgantis et minitantis praegressis praecipue voculis „tune, autem, etiam, at etiam" itemque pronomine „quid?" cum substantivo verbali coniuncto. Plaut. Most. 419 ‚Sed **quid tu egredere?**' Amph. 349 ‚**Pergin** argutarier?' Ter. Phorm. 806, 996. Eun. 817. Heaut. 237. Plaut. Amph. 903 ‚**Potin** ut abstineas manum?' Pers. 297 ‚**Potin** abeas?' Amph. 565 ‚**Tun** me verbero, **audes,** erum ludificari?' Rud. 877 ‚**Etiam retentas?**' Trin. 991 ‚**At etiam maledicis?** Most. 6 ‚**Quid** tibi, malum, hic ante aedis **clamitatiost?**' Ter. Eun. 671 ‚**Quid** huc tibi **reditiost?**' vestis **quid mutatiost?**'[3])

Huc etiam pertinet formula usitatissima „quid negoti est?"[4]) Cum negatione interrogatur, si, quod verbum per se ipsum exprimit, concupiscitur. Ita persaepe legitur: „non taces?" „Schweigst du nicht gleich?!" quod idem fere significat, ac si quis dicit: „etiam tu taces?" velut Plaut. Trin. 514. al. Trin. 1017 ‚Quid, homo nihili, **non pudet te?** 'Ter. Eun. 799 ‚**Non** tu hinc **abis?**' Plaut. Curc. 84 ‚**Quin tu taces?**' Curc. 611 ‚**Quin tu is** in malam crucem?' Varr. Men. 134 ‚**quin** mihi caperratam tuam frontem, Strobile, **omittis?**' Corn. IV, 52, 65 **Quin** illum mihi **datis** ac vos auribus meis opplorare **desinitis?**' ibid. ‚**Quid non desinis,** uxor, loqui?'

Ceterum hoc toto dicendi genere, quod frequentissimum est apud priscos poetas comicos, ipsa pronuntiatio permultum valet, qua eiusdem formulae vis modo minuitur modo augetur. Vera autem interrogationis sententia saepe nisi e toto rerum conexu perspici non potest, velut „etiam dicis?" affirmativam vim habet Plaut. Pers. 278, contra „etiam rides?" negativam Eun. 1017. Similiter „quid ais?" vi adhortativa dici solet, si quis novam rem proferre vult, ut quasi sit „audi", velut Amph. 418, 620, 848 ctt.[5]) Aliis autem locis est mirantis et ad verba spectat, quae altera persona iam elocuta est, velut Pers. 221.

---

[1]) cf. Lorenz, adn. ad Plaut. Most. 370; Ussing, adnot. ad Plaut. Asin. 707 (714 R.). [2]) cf. Holtze l. l. p. 242 sqq. [3]) Conf. Holtze, l. l; Lorenz adn. ad Plaut. Most. 6, Using, adn. ad Amph. 515. [4]) cf. Becker, p. 179. [5]) Exempla collegit Ussing, adn. ad Plaut. Amph. 414.

f) Ab his quae attulimus alienum est deliberativum interrogationis genus. Saepe enim indicativus praesentis legitur ubi quis aut secum ipse reputat aut alterum consulit, quid faciendum sit. E Ciceroniana dicendi ratione expectatur coniunctivus, eumque etiam apud priscos scriptores nonnunquam invenimus, qui parem in modum indicativum futuri ponunt.[1]) Plaut. Pers. 666 ‚Toxile, **quid ago?**' Ter. Phorm. 736 sq. ‚**Quid ago? — Adeo, maneo?**' Heaut. 343 ‚**Quid ago** nunc?' Plaut. Most. 744 ‚**Eon? voco** huc hominem? || ‚I, voca.' Asin. 755 ‚Addone id?' Mil. 1036 (1031 Ribb.) ‚**Vocon** ergo hanc, quae te quaerit?' Mil. 1424 (1421 Ribb.). Cas. 5, 4, 35. Pseud. 1159 sq. Bacch. 775. Cist. 4, 2, 103. Epid. 143. Stich. 750. Curc. 132. Ter. Eun. 434, 811, 1081, 1088. Phorm. 1007. Andr. 315, 921.

g) Formula interrogativa deinde is qui loquitur se ipse propter cunctationem quasi reprehendit et ad agendum impellit. Plaut. Rud. 677, **cesso**[2]) ego illas consolari?' Merc. 129 ‚At etiam **asto?** at etiam **cesso** foribus facere hisce assulas?' Merc. 218 ‚Sed **quid** ego hic diem lamentando **perdo**, ad navem non eo?' Rud. 236 ‚**quin voco?**' Asin. 680 ‚**Quin** ad hunc Philaenium, **adgredimus?**' Ter. Ad. 639 ‚**Quor non ludo** hunc aliquantisper?' Plaut. Trin. 1149 sq. Rud. 585. Merc. 908. Cos. 2, 6, 70. Varr. r. r. I, 4, 5 ‚Sed **quid** ego illum **voco?**' Luc. XXX, 770 ‚sed **quid** ego haec animo trepidanti dicta **profundo?**' 504 ‚nos illos revocare **timemus?**'

15. Eiusmodi verba, quibus ipsis perfectionis quaedam immixta est vis, nonnunquam praesenti ponuntur, ubi res ad absolutionem non perducitur, hoc vero „praesens de conatu" quod dicitur cum vera et legitima actionis infectae notione prorsus congruit. Plaut. Amph. 821 ‚Tu si me impudicitiai **captas,** copere non potes.'

16. In his omnibus quas persecuti sumus loquendi rationibus praesens tempus absoluta vi positum est. Restat, ut singularem quandam sententiarum temporalium structuram respiciamus. Ut recte Langius[3]) disseruit, praesens cum particulis „dum, postquam, quoniam, quom, ubi, ut" coniunctum semper actionem praeteritam significat, quae eodem tempore durat nequedum absoluta est, quo altera aut plane aut ex parte conficitur. Minime vero hoc cum absoluto praesentis historici genere confundendum esse video. Nam etsi illae particulae imprimis in narrationis tenore, in quo praesens historicum etiam in sententiis primariis locum habet, cum praesenti constructae inveniuntur, tamen hanc structuram certo consilio adhibitam esse apparet ad indicandam temporum relationem. Ut enim supra vidimus, praesentis historici quod proprie dicitur in comicorum sermone minime propria est vis actionis continuae, sed saepe etiam de rebus brevissimo temporis momento peractis neque ullo perfecti discrimine usurpatur. Quodsi tantummodo in sententiis temporalibus, ubicunque praesens legitur, certam illam et constantem regulam, ut enuntiati primarii actio alterius tempore contineatur, videmus esse observatam, in iis praesens relativa quadam vi positum esse elucet.

Huc accedit, quod coniunctio „quom" saepe etiam extra narrationem continuam cum praesenti conectitur, ubi in enuntiato primario perfectum aut imperfectum aut plusquam-

[1]) vide infra p. 77. [2]) Persaepe verbum „cesso" ita usurpatur, cuius rei exempla collegit Ussing adn. ad Plaut. Aul. 389. [3]) l. l. p. 4 sqq.

perfectum legimus. Tempus igitur non id est, quod actio per se spectata et enuntiata poscit, sed alterius tantum relatione potest explicari. Plaut. Mil. 124 sq. ‚deinde, **posquam occasiost**, Conqueritur mecum mulier fortunas suas.' Contra Amph. 219 ‚Postquam utrimque **exitumst**, — Deinde uterque imperator in medium exeunt.' Capt. 282 ‚Quid pater? vivit — ne? || Vivum, **quom** inde **abimus**, liquimus.' Men. 1115 ‚Quot eras annos natus tum **quom** pater a patria te **avehit?**' Merc. 617 ‚Iam addicta atque abducta erat, **quom** ad portum **venio.**' Stich. 510 sq. ‚Vocem ego te ad me ad cenam, frater tuus ni dixisset mihi, Te aput se cenaturum esse hodie, **quom** me ad se ad cenam **vocat.**'[1])

Haec relativa praesentis vis magis etiam apparet e structura particulae „dum". Quae persaepe de factis praeteritis legitur cum praesenti coniuncta, id quod plane abest a narrativo illo usu, atque haec quidem constructio in recentiorum quoque scriptorum orationem transiit. Plaut. Trin. 838 sq. ‚satis partum habeo, Quibus aerumnis deluctavi, filio **dum** divitias **quaero.**' Ter. Andr. 822 ‚**dum studeo** obsequi tibi, paene inlusi vitam filiae.' Eun. 745 sq. ‚**dum** tibi sororem **studeo** reddere ac restituere, haec atque huius modi sum multa passa.' Ad. 691 ‚haec **dum dubitas**, menses abierunt decem.'

Ad hoc praesentis genus recte diudicandum etiam maioris est momenti, quod particula „dum" in iis quoque enuntiatis, quae actionem futuram continent, praesenti tempori adiungitur. Significatio eadem est („während"), nonnunquam autem propius accedit ad notionem „so lange als." Mil. 1404 (1401 Ribb.) ‚Mane, **dum narro.**' Mil. 233 ‚Tace **dum** in regionem astutiarum mearum te **induco.**' Ter. Andr. 328 sq. ‚saltem aliquot dies (nuptias) ‚Profer, **dum proficiscor** aliquo, ne videam.' Eun. 595 ‚ventulum huic sic facito, **dum lavamur.**' Post ea autem verba, quibus vis exspectandi inest, particula „dum" indicativum praesentis significatione ‚bis' adsciscit. Cum igitur futuri temporis punctum indicet, quo actionis initium in alterius finem incidat, communis illa notio, qua duae res inter se conectuntur, etiam in hac constructione servatur. Plaut. Most. 683 ‚Ego hic tantisper, **dum exis**, te opperiar foris.' Rud. 879 ‚Manete, **dum** ego huc **redeo.**' Ter. Heaut. 833 ‚Tu hic nos, **dum eximus**, interea opperibere.'

Quodsi inter se comparaverimus haec tria exempla: Plaut. Truc. 322 ‚qui (sc. pisces) usque, **dum vivont, lavant,**' Ter. Eun. 745 ‚**Dum** tibi sororem **studeo** reddere, **sum** multa **passa,**' Plaut. Pseud. 40 ‚**Tace, dum** tabellas **pellego,**' in quorum primo praesens de quovis tempore dicitur, secundum actionem praeteritam, tertium futuram exprimit, facile apparebit, eandem cuiusque esse rationem: secundario scilicet enuntiato eiusmodi actionem proferri, quae quo tempore altera perficiatur, ipsa duret. Semper igitur praesens e particulis temporalibus suspensum exuta vi temporali nihil aliud exprimit nisi actionem infectam, ipsum vero tempus e sententia primaria cognoscitur. Simili modo etiam coniunctio „priusquam" saepe cum indicativo praesentis construitur, si actio futura indicanda est.[2]) Praesens enim non per se ipsum temporis statum declarat, sed particularum

---

[1]) cf.. Lübbert, l. l. p. 64. [2]) Lange, De sentent. tempor. ct. p. 34 sqq.

consociatione significat, quemadmodum duae actiones tempore inter se cohaereant.

Quodsi grammatici in tractandis sententiis temporalibus ita vulgo discernunt, ut, quaecunque exempla rem praeteritam continent, praesenti historico attribuant, cetera mero praesentis nomine complectantur, haec divisio minime est e rei natura, quippe quae et res diversas communi vindicet generi, et quarum eadem est vis et natura, divellat.

II.

1) De imperfecti natura et usu in universum subtiliter disseruit Hoffmannus,[1]) qui hoc tempus nihil aliud nisi actionem infectam sive pendentem significare neque necessarium esse praeteriti temporis momentum ad quod referatur, disertis verbis exposuit. Et profecto haec absoluta imperfecti vis in priscorum scriptorum sermone, ubi persaepe sine ulla certi temporis denotatione usurpatur, dilucide potest perspici. Plaut. Bacch. 342 sq. ‚**Censebam** me effugisse a vita maritima, (— Id mi haud utrum velim licere intellego).‘ Pseud. 912 ‚Ehem, te hercle ego **circumspectabam**: nimis metuebam male, ne abisses.‘ Ter. Hec. 282 sq. ‚Heu me infelicem, hancine ego vitam parsi perdere! Hacine causa ego **eram** tanto opere cupidus redeundi domum.‘

Indefinitam illam temporis naturam imperfectum praecipue exhibet, si particulae „prius, (iam) dudum, iam diu“ sim. in universum tempo rispraeteriti statum indicant: Plaut. Rud. 1122 sq. ‚Nunc demum istuc dicis, quoniam ius meum esse intellegis: **Dudum** dimidium **petebas** partem.‘ Most. 257 ‚Nunc adsentatrix scelestast, **dudum** advorsatrix **erat**‘. Enn. Ann. VII, 155 sq. (Baehr.) ‚scripsere alii rem Vorsubus, quos olim Fauni vatesque **canebant**‘. Ter. Eun. 1000 ‚Nam **iam diu** aliquam causam **quaerebat** senex‘. — Plaut. Capt. 244 ‚Quom **antehac** pro iure **imperitabam** meo, nunc te oro per precem‘. 474 ‚Ipsi obsonant, quae parasitorum **ante erat** provincia‘.

Saepe imperfectum absolute positum apparet in enuntiationibus relativis, quarum enuntiatio primaria praesenti exprimitur: Plaut. Men. 774 ‚Id est quod **suspicabar.**‘ Ter. Heaut. 256 ‚Sed eccos video, quos **volebam**‘. Plaut. Pers. 493 sq. Bacch. 725. Ter. Ad. 78.

Quibus locis praeteriti temporis punctum, ad quod spectet imperfectum, neque verbo ullo indicatum est neque e sententiarum conexu intellegitur.

2. Propriam suam vim imperfectum etiam in enuntiandis iis rebus obtinet, quae inchoatae neque tamen ad finem perductae sint, ubi actionis infectae sive continuae notio magis intenditur: Plaut. Merc. 885 ‚Quo nunc **ibas!**‘ Ter. Phorm. 900 ‚At nos at te **ibamus.**‘ 902 ‚Quid ad me **ibatis?**‘

---

[1]) Die Construction der lat. Zeitpartikeln, Anhang p. 176 sqq.

3. Deinde hoc tempus imprimis idoneum est ad describendas res praeteritas, quae fieri solitae sint aut per aliquod temporis spatium duraverint. Ubi vero duas actiones ita inter se cohaerere denotandum erat, ut altera in alterius tempus incideret, hanc imperfecto enuntiari erat consentaneum; itaque vis relativa e propria actionis infectae significatione exorta est. Hanc relativam imperfecti rationem iam apud Plautum statuendam esse exemplis docuit Lübbertus,[1]) qui varios huius relationis gradus inter sententiam primariam et secundariam intercedere posse censet. Itaque locis quibusdam Plautinis, cum imperfectum in sententiis temporalibus positum e primitiva actionis infectae sive continuae notione vix explicari posse videatur, hoc tempus in modum aoristi usurpatum esse existimat, ita tamen, ut utramque actionem in idem tempus cadere significet:[2]) Most. 1117 ‚Loquere: quoiusmodi reliqui, quom hinc **abibam**, filiam?' Curc. 541 sq. ‚Idem ego istuc, quom **credebam**, credidi, Te nihil esse redditurum.' Men. 1145 ‚Nam illa, quom te ad se **vocabat**, memet esse credidit.' Men. 632 ‚(te cum corona) Vidi astare, quom **negabas**, mihi esse sanum sinciput.' Men. 1052 ‚Eripui, homines quom **ferebant** te sublimen quattuor.' Rud. 307 ‚Nam quom modo **exibat** foras, ad portum se aibat ire.' Aul. 178 ‚Praesagibat mi animus frustra me ire, quom **exibam** domo.' Mil. 181 ‚Sed Philocomasium hicine etiam nunc est? || Quom **exibam**, hic erat.' Cist. 1, 3, 38 sq. ‚Meretricem illam invenire, quam olim tollere, Quom ipse **exponebat**, ex insidiis viderat.'[3]) — In qua re Hoffmannus[4]) a Lübberto valde dissentit. Ipse enim relationis varietatem quam Lübbertus statuit, nullam valere, sed actionem semper aut absoluta aut prorsus relativa vi in sententiarum conexu apparere contendit, in temporalibus autem enuntiatis indicativum nisi absolute positum non esse. Sed cum aoristicum imperfecti usum a lingua latina plane alienum esse existimet, illa imperfecta Plautina ad propriam huius temporis notionem revocare studet. Quodsi recte quidem monet, e loquentis iudicio maxime pendere, utrum actionem eo quo fiat momento percipiat atque eloquatur, an simpliciter eam evenisse pronuntiet, tamen ipse concedit, talem esse quarundam rerum naturam, ut uno actu absolvantur neque aliter cogitari possint. Eiusmodi igitur verborum indoles actionis infectae formam in praeterito respuit. Quid vero? si haec inveniuntur exempla: Plaut. Bacch. 673 sqq. ‚Quid malum igitur, stulte, quoniam occasio ad eam rem fuit, Mea virtute parta, ut quantum velles tantum sumeres, Sic hoc digitulis duobus **sumebas** primoribus'? Pseud. 799 sq. ‚Si me arbitrabare isto pacto, ut praedicas, Cur **conducebas?**' Enn. Trag. 114 sqq. ‚Iniuria abs te adficior indigna, pater. Nam si inprobum esse Cressipontem existimas, Cur me huic **locabas** nuptiis? Sin est probus, Cur talem invitam invitum cogis linquere?' Ter. Eun. 87 ‚quor non intro **ibas?**' Phorm. 652 ‚Nam mihi **venibat** in mentem eius incommodum, In servitutem pauperem ad ditem dari.' Phorm. 788 sqq. ‚mei patris bene parta indiligenter Tutatur: nam ex eis praediis talenta argenti bina **capiebat** statim.' Varr. r. r. III, 2, 7 ‚Quod si ea

[1]) Synt. von Quom p. 158. [2]) l. l. p. 162: ‚Man sieht aus dieser Abwechselungs-Fähigkeit, dass das Imperfectum noch vollständig als erzählendes, absolutes, historisches Tempus galt, auch für die Darstellung momentaner Ereignisse; es zeigte eben nur in deutlicherer Art als das aoristische Perfect die Gleichzeitigkeit des Nebenfactums mit dem Hauptfactum an'. [3]) l. l. p. 70 sqq. [4]) l. l. p. 176 sqq.

aedificia villae non sunt, quae asinum tuum, quem mihi quadraginta milibus emptum **ostendebas** apud te, non habent, metuo ne pro villa emam [Ostia] in litore Sesanas aedes.' III, 2, 14 ,ex quibus rebus scriba librarius libertus eius, qui apparuit Varroni et me absente patrono hospitio **accipiebat**, in annos singulos plus quinquagena milia e villa rapere **dicebat**.' Men. 4 ,Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum et sigillorum **veniebat**.'[1])

Haec igitur imperfecta talem rem continent, qualis brevissimo temporis momento conficiatur, vel ipsis verbis perfectionis quaedam vis inest, ita ut certa rei infectae significatio locum non habeat. Cum iis conferenda sunt dicendi verba saepenumero imperfecto expressa. Quamquam enim Hoffmannus ipse complura affert exempla e Ciceronianis etiam libris petita et formam „aiebat" a Plauto frequentatam ita interpretatur: „So lautete seine Rede", tamen confitetur, haec imperfecta a vulgari loquendi consuetudine abhorrere, cum aoristus illorum verborum naturae maxime sit consentaneus. Illa autem interpretatio omnino non potest stare, ubi oratio alicuius non ad verbum repetitur, sed argumentum eius tantummodo profertur. Ceterum „aiebat" aoristi munere fungi vel ob id ipsum verisimile est, quod hoc verbum perfecti forma omnino caret. Huc accedit, quod haud raro horum verborum imperfectum una cum perfecto legitur, nullo, quantum videre possumus, rei discrimine. Plaut. Poen. 899 sq. ,ille, qui eas vendebat, **dixit** se furtivas vendere: Ingenuas Carthagine **aibat** esse.' Mil. 1107 sqq. (1102 sqq. Ribb.) ,Ubi matrem esse **aiebat** soror? || Cubare in navi lippam atque oculis turgidis Nauclerus **dixit**.' Most. 1027 sqq. ,Te velle uxorem **aiebat** tuo gnato dare: Ideo aedificare hoc velle **aiebat** in tuis. || Hic aedificare volui? || Sic **dixit** mihi.' Bacch. 788 ,Nunc has tabellas ferre me **iussit** tibi: **Orabat** quod istic esset scriptum ut fieret.' Trin. 956. Capt. 676. Mil. 1410 (1407 Ribb.). Cum his locis conferendus est Amph. 807, ubi in narrationis tenore „aibas" legitur perfectis historicis et praegredientibus et subsequentibus: ,(**cenavisti** mecum: ego **accubui** simul. —) Te dormitare **aibas**: mensa **ablatast**: cubitum hinc **abiimus**.' Simili modo narratio imperfectis continuatur loco Terentiano Phorm. 594 sqq. ,Vix dum dimidium dixeram, intellexerat. Gaudebat: me **laudabat**: **quaerebat** senem. Dis gratias **agebat**, — **Iussi**.'

Praeterea autem non solum „aiebam", sed etiam „dicebam" et similia verba in eundem modum imperfecto usurpantur: Mil. 1409 sq. (1406 sq. Ribb.) ,Viduam eam esse censui, Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, **dicebat** mihi.' Ter. Eun. 700 sq. ,Parmeno **Dicebat** eum esse.' Heaut. 781. Eun. 372. — Plaut. Stich. 390 ,Venales logi sunt illi quos **negabam** vendere.' Pseud. 1314. Capt. 885 ,Sunt, ut tuum victum **autumabas** esse' (ad rem cf. v. 118). Ter. Eun. 114 sq. ,Mercator hoc **addebat**: e praedonibus, Unde emerat, se audisse abreptam e Sunio', cf. Varr. r. r. III, 13, 2 ,Ego vero, inquit ille, aput Q. Hortensium cum in agro Laurenti essem, ibi istuc magis *θρᾳκικῶς* fieri vidi. Nam silva erat, ut **dicebat**, supra quinquaginta iugerum maceria septa ctt.' III, 17, 4 ,(pisces —) quos sacrificanti tibi, Varro, ad tibicinem graecum gregatim venisse **dicebas** ct.' I, 2, 7 ,Certe, inquit, Libo Marcius, praefectus fabrum tuos, in fundo suo Faventiae hanc multitudinem **dicebat** suas reddere vites.'

[1]) Roeperus temere imperfectum commutavit in perfectum ,venit'.

Certe legentis animum subit cogitatio, cur tam saepe auctor dicendi actionem infectam ideoque aliter intellegendam proferat, ac si perfectum posuerit, praesertim cum res ipsa huius rationis causam praebeat nullam. Facile autem videmus, in comicorum quidem sermone multo saepius imperfectum legi, quam sententiarum conexus postulet, perfectum contra, ubi e posteriore linguae usu imperfectum exspectetur. Itaque plane reicienda est eorum sententia, qui putant, imperfectum plerumque eo consilio positum esse, ut actio continua sive infecta perspicua sit.[1]) Immo in temporibus eligendis veteres scriptores non certam illam regulam secuti, sed ad rem praeteritam simpliciter afferendam perfecto et imperfecto promiscue usi sunt, et hoc etiam ipsum aoristi locum obtinet. Nec mirum. Nam cum lingua latina peculiare tempus in aoristi modum non conformasset, rei naturae erat consentaneum, eius vicibus modo perfectum modo imperfectum fungi, cuius primitiva praeteritae actionis pendentis notio non impatiens erat huius muneris, quin etiam, ut erat tempus praeteritum, ad hoc non minus idoneum se praebebat quam perfectum.

Quodsi hunc usum ex illis exemplis certo agnovimus, quid impedit, quominus eundem etiam multis aliis tribuamus, ubi aoristus etsi non postuletur, tamen rerum conexui maxime videatur convenire? Itaque haec facillima erit via ad interpretanda illa imperfecta in enuntiatis temporalibus usurpata, ubi imperfectum prorsus absolute videtur esse positum parem nimirum in modum, ac si perfecti historici indicativus legitur. Imperfectum autem non exprimendae actioni quae duret, dum altera perficiatur, his locis servire, imprimis apparet ex hoc exemplo: Men. 631 sqq. ‚Non ego te modo hic ante aedis cum corona florea **Vidi astare**, quom **negabas** mihi esse sanum sinciput, et **negabas** me novisse, peregrinum **aibas** esse te?‘ Ut enim ex act. III scaen. II vv. 466 sqq. dilucide apparet, Peniculus aliquanto iam prius Menaechmum ante fores stare viderat, quam eum alloqueretur illasque res ab eo audiret. Longius igitur temporis spatium ita describitur, ut singulae actiones in hoc incidentes afferantur indicativo imperfecti expressae, id quod posterioris aetatis scriptores coniunctivo imperfecti enuntiare solent.[2]) Conferas etiam Bacch. 685 ‚quid, ubi **reddebas** aurum, dixisti patri?‘

Quare in hoc acquiescendum esse censeo: imperfecta illa absolute atque aoristi quidem vi posita esse, temporalem autem sententiarum relationem sola particula indicari.

4. Iam mentionem faciam singularis usus, quo indicativus imperfecti ut vulgo coniunctivus adhibetur ad significanda ea, quae re vera non exsistant vel haudquaquam exspectentur. Holtzius duo affert exempla (p. 71), quae sunt Mil. 852 et Andr. 175. Praeterea haec inveniuntur: Plaut. Rud. 518 sq. ‚Quin tu hinc eis a me in maxumam malam crucem? || Eas: easque res **agebam** commodum.‘ Ter. Phorm. 490 ‚**Mirabar**, si tu mihi quicquam adferres novi.‘ Phorm. 927 sqq. ‚Nam non est aequom me propter vos decipi, Quom ego vostri honoris causa repudium alterae Remiserim, quae dotis tantummodo **dabat**.‘ Varr. l. l. IX § 23 ‚Si enim usquequaque non esset analogia, tum **sequebatur**, ut in verbis quoque non esset.‘

---

[1]) cf. Kluge, Die Consecutio temporum. Cöthen, 1883. p 15. [2]) cf. Lange l. l. p. 21.

III.

1. In futuri primi formatione linguae latinae verba memorabilem exhibent differentiam: partim enim litteris primitivis syllabam ‚bo' adsciscunt, quae ipsa est temporis futuri forma thematis ‚bhu', partim proprias coniunctivi et optativi formas in futuri temporis locum recipiunt, quae quidem iam apud priscos scriptores pariter ac simplex illud primae et secundae quae dicuntur coniugationis futurum mera temporali vi positae sunt. Altera ex parte futuris illis in ‚bo' terminantibus non minus quam primitivis modi subiectivi formis saepe modalis quaedam vis inhaeret, qui usus, ut ne in Ciceroniano quidem sermone prorsus evanuit, apud prioris aetatis scriptores amplissimam obtinet provinciam.

2. Ad eam rem demonstrandam licet proficisci a genere quodam dicendi etiam apud aureae aetatis scriptores usitato: futurum enim in sententiis communibus saepe usurpatur, quibus quae omni tempore valeant, etiam in posterum eventura esse dicuntur. Plaut. Most. 1041 ‚Qui homo timidus **erit** in rebus dubiis, nauci non **erit**.' Most. 289. Enn. Trag. 10 ‚summam tu tibi Pro mala vita famam **extolles**, pro bona partam gloriam: Male volentes famam tollunt, bene volentes gloriam.' Ter. Ad. 55 sq. ‚Nam qui mentiri aut fallere **insuerit** patrem, Fraudare tanto magis **audebit** ceteros.' Hec. 218. Afran. Com. 7 ‚Haut facul, ut ait Pacuvius, femina una **invenietur** bona.' Naev. Com. 90 sq. Luc. XXX, 777 ‚Nonnumquam **dabit** ipsa aetas quod prosit habendo.'

Nonnullis eiusmodi locis praesens et futurum inter se commutantur: Plaut. Pers. 365 sqq. ‚Virgo atque mulier nulla **erit**, quin sit mala, quae praeter **sapiet** quam **placet** parentibus. || Virgo atque . . . . . Quae **reticet**, si quid fieri pervorse **videt**.' Ter. Ad. 72 sq. ‚Ille quem beneficio **adiungas** ex animo **facit**, **studet** par referre, praesens absensque idem **erit**.' Plaut. Amph. 171 sqq. Stich. 123 sqq. Men. 87 sq.

3. Neque abhorret a communi usu verbi dicendi futurum, quo significatur, quod dictum iri vel facile dici posse e praesenti rerum condicione aliquis conicit. Plaut. Trin. 606 ‚Non credibile **dices**.' Ter. Heaut. 72 „Enim," **dices**, „quantum hic operis fiat, paenitet!" Afran. Com. 29 ‚Terentinumne similem **dicent** quempiam?' Corn. II, 10, 14 ‚quae omnia scriptorem noluisse quam rectissime fieri nemo **dicet**.' IV, 26, 36 „non igitur satius esset," **dicet** aliquis, „ab initio, praesertim quom scribas, ad optumum et lectissumum verbum devenire?"

4. Sed multo latius hic usus in prisca latinitate patet. Itaque saepe futurum legimus, ubi e communi rerum statu coniectura capitur, quid in ipsa re, de qua sermo est, recte faciendum vel iudicandum videatur. Plaut. Mil. 395 ‚Narrandum ego istuc militi **censebo**.' Mil. 1209 (1203 Ribb.) ‚Deos **sperabo** teque.' Varr. Men. 396 ‚Micandum **erit** cum Graeco, utrum ego illius numerum an ille meum sequatur.' Cat. r. r. 44 ‚Ex eo die dies XLV recte **putabis**.' Varr. l. l. V § 11 ‚Quadripartitio magis sic **apparebit**: corpus est ut cursor ctt.' VIII § 53 ‚In nullo horum analogiam servari **videbis**.' IV § 88 ‚**Dicemus** ut hoc mille, huius mille, sic hoc deciens, huius deciens, neque eo minus in altero, quod est mille, **praeponemus** hi mille, horum mille.' § 89 ‚Item **faciemus**, si eadem vox nomen

et verbum significabit.' X § 40 ,Quae cum inter se tanta sint cognatione, **debebis** subtilius audire quam dici expectare.' C. Gracch. ap. Gell. XV, 12, 3 (Hertz) ,Cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde **poteritis** considerare, quomodo me putetis cum liberis vestris vixisse.'

5. Similis ratio valet, si per breviloquentiam futuro enuntiatur, quod iam loquendi momento exstat atque ab altera persona facile experiendo perspici posse praedicatur. Iam Holtzius[1]) haec tria affert exempla: Plaut. Pers. 645. Ter. Eun. 732. Phorm. 801. Quibus addenda sunt haec: Plaut. Pseud. 677 ,sic **erit.**' idem Ter. Heaut. 1014. Plaut. Trin. 923 ,Istic **erit.**' Asin. 734 ,Hic **inerunt** viginti minae.' Bacch. 274 ,accipitrina haec nunc **erit.**' Curc. 472 ,Ibidem **erunt** scorta exoleta quique stipulari solent.' Ter. Phorm. 52 sq. ,Accipe, en: Lectumst; **conveniet** numerus quantum debui.' Cat. r. r. 135, 3 ,Eae (sc. fiscinae) optime **erunt** Romae.' 146, 1 ,Olea pendens in fundo Venafro **venibit.**' Varr. l. l. X § 43 sq. ,In hac formula (sc. quam modo descripsimus) numerorum duo **inerunt** quos dixi logoe, qui diversas faciant analogias. — Itaque fiunt — per directas declinationes Albius Atrius, Albia Atria, quae scilicet **erit** particula ex illa vicenaria.' Corn. I, 8, 11 ,de exordio **satis erit dictum**: deinceps ad narrationem transeamus.' II, 1, 1 ,ea quoque nobis **erit** hoc libro **absoluta**; parvae partes eius duae in tertium volumen transferentur.' II, 4, 7 ,quare scire **potuerit.**' III, 12, 22 ,de utraque re simul **erit** in praesentia **dictum.**' IV, 37, 49 ,Posterioris licentiae hoc **erit** exemplum: mihi cum isto ctt.' — Omnes loci Cornificiani excepto uno futurum exactum praebent, quo indicat scriptor, sibi videri suam sententiam lectori quoque probabilem fore.[2])

6. Quod in enuntiatis condicionalibus itemque temporalibus et relativis quae condicionem contineant, saepissime futurum legitur, nihil habet miri, sed rei naturae consentaneum videtur, si quidem enuntiatum primarium futurum vel imperativum vel generalis notionis dictionem exhibet.[3]) Quam prope vero hic indicativus futuri ad coniunctivum praesentis accedat, quippe qui rem cogitatione tantummodo fictam significet, ex eo apparet, quod saepe promiscue usurpantur[4]): Plaut. Bacch. 732 ,Quid si potius morbum mortem **scribat?** id **erit** rectius.' Ter. Eun. 49 sqq. ,redeam? non, si me obsecret. || Siquidem hercle **possis**, nil prius neque fortius: Verum si **incipies** neque **pertendes** naviter Atque ubi pati non **poteris,** quom nemo **expetet,** Infecta pace ultro ad eum **venies,** indicans Te amare et ferre non posse: actumst, ilicet, Peristi: **eludet,** ubi te victum **senserit.**' Cat. r. r. 28, 1 ,**Cum seres** — eximito.' ibid. ,caveto, **quom** ventus **siet** et imber, effodias aut seras.' 2, 25 ,**Quom** vinum **coctum erit** et **quom legetur,** facito, uti servetur.' L. Pis. ap. Gell. XI, 14, 2 ,Ei dicunt: „Romule, si istud omnes homines **faciant,** vinum vilius **sit.**" His respondit: „immo vero carum, si, quantum quisque **volet, bibat.**" Varr. Men. 338 ,quod profecto **eveniet,** si de id genus rebus ad communem vitae usum pertinentibus **confabulemur.**' 573 ,oleum in lucubrationem **servabimus,** quam in asparagos totam lecythum

---

1) Synt. II, p. 82. 2) cf. Nep. XXIII, 5, 4 ,Quare unum hoc **satis erit dictum,** ex quo intellegi possit, quantus fuerit: quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit ctt.' 3) vide supra p. 9. 4) cf. Blase, l. l. p. 46.

evertamus.' Varr. r. r. I, 12, 2 ,Fundanius, Quid **potero**, inquit, facere, si istiusmodi mi fundus hereditati obvenerit, quo minus pestilentia noceat? istuc vel ego possum respondere, inquit Agrius: Vendas, quot assibus **possis**, aut si **nequeas**, relinquas.' Varr. l. l. V § 184 ,neque si amplius **velimus** (sc. dicere) volumen **patietur.**' IX § 94. Corn. IV, 4, 7 ,Ita ut, si (Ennii) de tragoediis velis sententias eligere aut de Pacuvianis nuntios et **quia** plane rudis id facere nemo **poterit**, cum feceris, te litteratissimum putes, ineptus sis, **propterea quod** id facile **faciat** quivis mediocriter litteratus, item si, cum ex orationibus aut poematis elegeris exempla, quae certis signis artificii notata sint, **quia** rudis id nemo facere **possit**, artificiosissime te fecisse putes, erres, **propterea quod** isto signo videmus te nonnihil scire, aliis signis multa scire **intellegemus.**' Varr. Men. 543 ,Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus **gignantur**, ii si **erunt** *ὄνοι λύρας*, exheredes sunto.'

7. Quin etiam indicativus futuri exprimit, quod verae loquentis sententiae contrarium sit vel propter rerum condicionem omnino non possit fieri, ita ut coniunctivo imperfecti in sententiis condicionalibus posito respondeat. Plaut. Pseud. 829 sq. ,Nam vel ducenos annos **poterunt** vivere, Meas qui **essitabunt** escas quas **condivero.**' Men. 594 ,Quin **sospitabo** plus sescentos in die.' Enn. Satur. 476 (Baehr.) ,Quantam statuam Romanus faciet populus Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?' (Sensus est: Tanta statua omnino non potest fieri.) Varr. r. r. I, 2, 21 ,Sic, inquit Agrius, venalium greges **dicemus** agriculturam esse, si propter istam rem habendum **statuerimus.** Sed error hinc, quod pecus in agro esse potest et fructus in agro ferre, quod non sequendum. Nam sic etiam res aliae diversae ab agro **erunt** assumendae: ut si habet plures in fundo textores atque institutos histonas, sic alios artifices.' Varr. l. l. VIII § 81 ,Quod si Marcus Perpenna virile est nomen et analogia sequenda, Lucius Aelia et Quintus Mucia virilia nomina esse **debebunt.**' (Sententiarum conexus est: haec analogia non est sequenda, nam re vera virilia illa nomina sunt: Lucius Aelius, Quintus Mucius.) Varr. r. r. I, 18, 5 ,nihilo magis (sc. video), si vilicum et vilicam **removero**, quem ad modum ex XI sextam partem demam. Quod autem ait in C iugeribus vinearum opus esse XV mancipia, siquis **habebit** centuariam, quae dimidium vineti, dimidium oliveti, **sequetur**, ut duo vilicos et duas vilicas habeat, quod est diridiculum.'[1])

8. Non minus modalis illa futuri vis elucet in sententiis relativis, quae non factum referunt, sed qualis sit sive cogitetur persona aut res, de qua agitur, describunt, ita ut adiectivi vicibus fungantur. Qui usus admodum frequens est apud priscos pedestris orationis scriptores atque eo magis videtur premendus, cum sententia primaria praesenti enuntiatur. Cat. r. r. 31, 2 ,**quae** materies semen non **habebit**, cum glubebit, tempestiva erit.' 32, 2 ,Arbores hoc modo putentur, rami uti divaricentur, **quos relinques.**' 33, 1 ,susum vorsum semper ducito, **quod** eius **poteris.**' 109 ,vinum asperum **quod erit** lene et suave si **voles** facere,

---

[1]) Iure enim editio Keiliana restituit futura, quae ceterae Victoriana posteriores commutarunt in ,sequeretur' et ,habere deberet' aut ,habere debeat,' quibus coniecturis dicendi rationem ad Ciceronianae grammaticae leges revocabant.

quid facias.' Varr. r. r. I, 1, 7 ,ex quibus quid te facere oporteat, animadvertere poteris, in quis **quae non inerunt et quaeres**, indicabo a quibus scriptoribus repetas et graecis et nostris.' I, 1, 8 ,hi sunt, **quos** tu habere in consilio **poteris**, cum quid consulere voles.' I, 22, 1 ,**quae — poterunt**.' I, 55, 2 ,**quae** manu tangi non **poterunt**, ita quati debent, ut arundine potius quam pertica feriantur. — **Qui quatiet**, ne advorsum caedat.' l. l. IX § 48 ,Cum, inquit, utilitatis causa introducta sit oratio, sequendum non **quae habebit** similitudinem, sed quae utilitatem.' IX § 52 ,quemadmodum inter se conferent ea **quae** quaternos **habebunt** vocabulis casus, item ea inter se quae ternos, sic **quae** singulos **habebunt** ctt.' IX § 78 ,sic in vocabulis casuum possunt item fieri (sc. analogiae) ac reponi **quod aberit, ubi patietur** natura et consuetudo.' Sisenn. Miles. fr. VIII (Buecheler) ,proin dato aliquid, quod domi **habebis**, quod tibi non magno **stabit**.' Corn. I, 9, 14 ,Rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, **unde necesse erit**, et si non ab ultimo initio repetere volemus ctt.' II, 9, 13 ,scripto (utemur) **quod** ad eam rem **pertinebit**.' II, 17, 26 ,Si causa in hominem conferetur, quaerendum erit primum, potueritne tantum, **quantum** reus **demonstrabit**, is, **in quem** causa **conferetur**.' III, 3, 6 ,Item si quo pacto poterimus, quam is, qui contra **dicet**, iustitiam vocarit, nos demonstrabimus ignaviam esse.' III, 7, 13 ,deinde **ut** quaeque **quove** tempore res **erit gesta**, ordine dicemus.' IV, 12, 18 ,(Compositio conservabitur), si verborum transiectionem vitabimus, nisi **quae erit** concinna.' IV, 42, 54 ,Cum agetur incolumitas perpetua civitatis, **qui** bonus **erit** rationibus praeditus, profecto nullum vitae discrimen sibi pro fortunis rei publicae fugiendum putabit.' IV, 44, 56 ,ergo huius modi vehementer ornata poterit esse expolitio, **quae constabit** ex frequentibus exornationibus verborum et sententiarum ctt.' IV, 55, 68 ,Id fieri poterit, si **quae** ante et post et in ipsa re **facta erunt**, comprehendemus.' — I, 9, 16 ,De iis rebus caute confligendum est, **quibus** in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas **videbitur** interfuisse.' II, 3, 5 ,quibus de rebus vituperatio eorum, **quae** extra id crimen **erunt**, non debeat adsignari.' I, 7, 11 ,Item vitiosum est, quo nihilo minus adversarius potest uti, — Item illud, **quo** adversarius **poterit** ex contrario uti.' id. IV, 34, 46. II, 30, 47 ,Enumeratio est, per quam — **ut** quicquid **erit dictum, referemus** — ordine breviter exponendae res sunt, **quae** tractandae **erunt** in confirmatione et confutatione.' III, 17, 30 ,Item putamus oportere ex ordine hos locos habere, ne quando perturbatione ordinis inpediamur, quo setius, **quoto** loco **quoque lubebit**, vel ab superiore vel ab inferiore parte imagines sequi et ea, **quae mandata** locis **erunt**, edere possimus.' IV, 12, 17 ,propria (sunt), quae eius rei verba sunt aut esse possunt, **qua de loquemur**.' IV, 34, 45 ,Translatio est, cum verbum in quandam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte **videbitur** posse transferri.' IV, 37, 50 ,Hic ergo virtutem vostram quaero, sapientiam desidero, veterem consuetudinem requiro Quod **erit conmotum** licentia, id constituetur laude. — Haec res, sicut in amicitia, item in dicendo, si loco fit, maxime facit, ut et illi, **qui audient**, a culpa absint et nos, qui dicimus, amici ipsorum et veritatis videamur.'

Neque tamen desunt exempla coniunctivi praesentis in eiusmodi enuntiatis relativis positi, velut his locis: Cat. r. r. 35, 2 ,Lentim in rudecto et rubricoso loco, **qui** herbosus

non **siet**, serito.' (subsequitur: ,hordeum, **qui** locus novus **erit** aut qui restibilis fieri **poterit**, serito'). Varr. r. r. I, 12, 2 ,Vendas **quot** assibus **possis**.' Corn. IV, 48, 61 ,Sed inventio similium facilis erit, si qui sibi omnes res — frequenter ponere ante oculos poterit et ex his aliquam venari similitudinem, quae aut ornare aut docere aut apertiorem rem facere aut ponere ante oculos **possit**.' cf. Plaut. Pers. 489 ,Nunquam enim posthac tibi nec tuorum quoiquam, quod **nolis**, volam.'

9. Ut iam supra[1]) commemoravimus, eiusmodi verba et locutiones, quae actionis modum vel rei qualitatem significant, nonnunquam praesens adsciscunt, ubi alterius enuntiati futurum legitur. Sed multo saepius apud prosae orationis scriptores verba „posse, velle, oportere" sim. ipsa futuro usurpari solent, id quod ex iis quae modo attulimus exemplis iam satis apparet. Haud raro etiam apud Plautum idem usus invenitur, etsi potestas aut voluntas iam loquendi momento valet: Mil. 1160 (1155 Ribb.) ,Impetrabis, imperator, quod ego **potero**, quod **voles**.' Aul. 119. Most. 1121. Curc. 493. Mil. 81 sq. ,Qui autem auscultare **nolet**, exsurgat foras, Ut sit ubi sedeat ille qui auscultare volt.'

10. In his omnibus dicendi generibus futuro potentialem vim inhaerere videmus, qua quidem ab indicativo praesentis forma differat. In universum autem licet animadvertere aliam potentialem loquendi rationem apud priscos poetas comicos raro tantum apparere, id quod antiquo illi linguae latinae statui et simplici quotidiani sermonis naturae videtur congruere. Pedestris vero orationis scriptores in iis qui aetatem tulerunt libris didacticis ad sententiam suam proferendam et ad rei alicuius rationem describendam semper fere modo potentiali utuntur, cuius frequentissima forma apud Catonem et Varronem indicativus futuri exstat. Cornificius autem maiorem orationis varietatem atque elegantiam ita affectat, ut indicativus futuri et aliae modales dicendi figurae se invicem excipiant. Ad eorum consuetudinem illustrandam hic pauca sequuntur exempla: Cat. r. r. 1, 1 sq. ,Praedium quom parare **cogitabis**, sic in animo habeto, — Quotiens **ibis** totiens magis **placebit**, quod bonum **erit**. Vicini quo pacto niteant id animum advertito: in bona regione bene nitere **oportebit**. — si **poteris**, sub radice montis siet. — de domino bono colono bonoque aedificatore melius **emetur** ctt.' Varr. r. r. I, 18, 6 ,itaque de familiae magnitudine et reliquo instrumento commodissime **scies**, quantam pares, si tria **animadverteris** diligenter.' 1, 45, 2 ,quae in seminario nata, si loca **erunt** frigidiora, quae molli natura sunt, per brumalia tempora tegere **oportet** fronde aut stramentis, si **erunt** imbres **secuti**, **videndum** necubi aqua consistat.' l. l. X § 17 ,Quare nisi in sua parte inter se **collata erunt** verba, si non conveniunt, non **erit** ita simile, ut debeat facere idem.' Corn. I, 9, 14 sqq. ,Tres res **convenit** habere narrationem, ut brevis, ut dilucida, ut veri similis sit; quae quoniam fieri **oportere scimus**, quem ad modum faciamus, **cognoscendum est**. Rem breviter narrare **poterimus**, si inde **incipiemus** narrare, unde **necesse erit**, et si non ab ultimo initio repetere **volemus**, et si summatim, non particulatim **narrabimus**, et si non ad extremum, sed usque eo, quo **opus erit**, **persequemur**, ctt. — Si vera res **erit**, nihilo minus haec omnia narrando **con-**

[1]) p. 9.

servanda sunt, nam saepe veritas, nisi haec **servata sint**, fidem non **potest** facere: sin **erunt** fictae, eo magis **erunt conservanda**. De iis rebus caute **confligendum est**, quibus in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas **videbitur** interfuisse.'

11. Coniunctivi potentialis munere porro fungitur futurum apud comicos in interrogationibus dubitativis et deliberativis, in quibus saepe etiam indicativum praesentis inveniri supra diximus. Plaut. Capt. 535 ,**Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo** aut **quid fatebor?**' Rud. 1270 ,Quid, patri etiam **gratulabor**, quom illam invenit? || Censeo.' (cf. 1275 ,Etiamne adveniens salutem eam? || Censeo.'). Ter. Hec. 516 sq. ,Perii, quid agam? quo me vortam? quid viro meo **respondebo** Misera?' Plaut. Mil. 1242 (1236 Ribb.). Ter. Eun. 837. Hec. 628.

12. Pariter futuro interrogat, qui alterius sententiam cum indignatione recusat. Plaut. Stich. 599 ,Solus **cenabo** domi?' i. e. postulasne, ut solus domi cenem.[1]) Men. 198 ,Ego **saltabo?** sanus hercle non es.' Mil. 1021 (1016 Ribb.) ,Quid ego? **astabo** hic antisper cum forma et factis sic frustra?' Truc. 205 ,**Ibo** igitur intro?' Sext. Turp. Com. 153 ,Ego **praestolabo** illi oscitans ante ostium?' Cat. Orig. V, 95 c. (Peter, Histor. rom. fragm.) ,Ea nunc derepente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam **relinquemus?** quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere **occupabimus?**' Corn. Sisenn. Histor. IV, 113 (Peter) ,Armis equis commeatibus nos magis iuverunt exleges: et minus honore dignos **putabitis?**' Huc etiam referendus est locus Plautinus, ubi tertia pluralis persona legitur: Rud. 817 ,Etiam me abire hinc non **sinent?**' („Sollen sie mich auch von hier nicht weggehen lassen?")[2])

13. Secunda et tertia indicativi futuri persona ponitur, si quis iubet vel optat quod certo eventurum esse sperat, quam rationem etiam Ciceronianus sermo sequitur. Plaut. Stich. 515 ,Cras aput me **eritis**.' Mil. 571 (570 Ribb.). Asin. 623.[3])

Pariter futurum frequentatur in iurandi formulis. Saepe enim legimus: „ita me amabit Juppiter," „ita me di amabunt," quod non cum Lorenzio[4]) interpretandum est: „so gewiss werden die Götter mich lieben," sed potius: „so wahr mich die Götter lieben sollen." Optionem enim continet, neque est, cur in alium sensum dictum esse putemus ac si coniunctivus optativus legitur, velut Most. 170: ,Ita me di **ament**, lepidast Scopha.' Quod etiam magis apparet ex his exemplis: Curc. 326 ,**Ita** me **amabit quam ego amo**, ut ego non mentior.' Capt. 877 sq. ,Ita me **amabit** sancta Saturitas, Hegio, itaque suo me semper **condecoret** cognomine, Ut ego vidi.'

---

1) Holtze, Synt. II, p. 241. 2) Cf. Liv. XXXVIII 53 ,Adiecit (Ti. Sempronius Gracchus) decreto indignationem. „Sub pedibus vestris **stabit**, tribuni, domitor ille Africae Scipio? — nullisne meritis suis, nullis vestris honoribus umquam in arcem tutam et velut sanctam clari viri **pervenient**, ubi, si non venerabilis, inviolata saltem senectus eorum considat?" — Similem futuri usum apud Tacitum invenimus. Hist. I, 83 Otho milites seditione facta ad concordiam et modestiam adhortans his verbis alloquitur: ,Si cur iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An et illic nocte intempesta **rapientur** arma? unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus **imbuet**, imperatoris sui tentorium **inrumpet?**' Ann. I, 42 ,Quod nomen huic coetui **dabo?** Militesne **appellem**, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis?' 3) Huius rei exempla collegit Loch, Zum Gebrauch des Imperativus bei Plautus. Memel, 1871. p. 23. 4) Adn. ad Plaut. Most. 170.

14. Futurum amabo imperativo vel interrogationi directae appositum, quod admodum frequentatum est a comicis, per breviloquentiam explicandum est: „amabo te (vos), si hoc feceris (feceritis).“ Plaut. Mil. 1067 (1062 Ribb.) ‚Sed **amabo** mittite me actutum.‘ Merc. 503. Most. 166. Mil. 900 (895 Ribb.), 1084 (1079 Ribb.). Bacch. 1121. Cas. 1, 1, 49. Ter. Eun. 534. Nonnunquam vero meram rogandi vim et constructionem habet: Cist. 1, 1, 105 sq. ‚Nunc **te amabo, ut** hunc triduum hoc solum sinas esse.‘ Ter. Eun. 537 ‚**Amabo ut** illuc transeas.‘

15. Omnino igitur in prisca latinitate indicativo futuri amplissimam concedi videmus provinciam, quam maxima ex parte coniunctivus praesentis postea occupaverit. Cuius rei causa ex ipsa actionis futurae ratione perspicitur. Talis enim res futura potest cogitari, qualis loquendi tempore non exstet, sed exspectetur. Itaque futurum quodammodo medium locum tenet inter indicativum praesentis et coniunctivum, qui quidem rem animo et cogitatione fictam significet. Utrumque igitur exprimit quod possit fieri. Haec autem notio modalis futuri temporis usui, qui est apud priscos scriptores, multo magis inhaeret quam ei qui in sermone Ciceroniano observatur, quin etiam illic futurum est potentialis forma admodum usitata.

IV.

1. Perfecti duo potissimum genera communi dicendi usu distinguuntur: perfectum praesens sive logicum et perfectum historicum. Perfectum praesens, quod primitivam huius formae vim obtinet, absolutae actionis statum ipso loquendi momento valere significat. Quae ratio e veterum scriptorum usu facile potest perspici. Imprimis apparet in formulis quibusdam rhetoricis, velut „perii, actum est, dixi, vixi, fui,“ quas Holtzius[1]) et Draegerus[2]) exemplis iam illustrarunt. Item praesenti convenienter vi rhetorica de rebus futuris dicitur, praesertim in sententiis condicionalibus: Plaut. Truc. 620 ‚**Perii** hercle hodie, ni hunc a te abigo.‘ Amph. 428 ‚**victus sum**, si dixeris.‘ Capt. 539. Asin. 361, 919. Festinanter poscentis est perfectum his locis: Plaut. Stich. 533 ‚**Quam mox coctast cena?** inpransus ego sum.‘ Rud. 342 ‚Sed **quam mox coctumst** prandium?‘

2. Sed non omnia perfecta logica eandem vim habent. Nam si verbum statum sive condicionem durantem continet, ipsa perfecti forma rei peractae notio adeo premitur, ut abeat in negationem, itaque „habui, fui, vixi“ idem significat, quod „habere, esse, vivere nunc desii, iam non habeo, sum, vivo.“ Aliter res se habet, si verbum quod fiat sive quod quis efficiat, exprimit. Eius enim perfectum statum rei perfectione exortum praesenti tempore pendere sive durare indicat. Itaque apud priscos scriptores saepius etiam, quam e vulgari Ciceroniani sermonis consuetudine exspectatur, ubi praesens sufficiat,

[1]) Synt. II, p. 76. [2]) Histor. Synt. I, § 129.

deprehendimus perfectum. Quam rationem imprimis sequuntur verba inchoativa: Plaut. Truc. 210 ‚**requievi**, quia hinc intero abiit odium meum.' 291 sq. ‚**Erubui** mecastor misera propter clamorem tuom. || Itane? **erubuisti?**' Ter. Heaut. 938 ‚Quid **obticuisti?**' Phorm. 601, 991. Ad. 643. Plaut. Amph. 392 ‚Quid, si falles? || Tum Mercurius Sosiae **iratus siet.**' — Quibus similia sunt haec perfecta: Plaut. Truc. 599 sq. ‚Med intuitur gemens. **Traxit** ex intumo ventre suspiritum.' Cist. 1, 1, 56 sq. ‚Hoc sis vide, Ut **petivit** suspiritum alte!' Amph. prol. 52 ‚Quid **contraxistis** frontem?' Luc. VIII, 238 ‚Gallinaceu' cum victor se gallus honeste **Sustulit** in digitos primoresque erigit unguis.' His locis non tam ipsa actio quam actionis effectus intenditur. Magis vero mirum videtur perfectum, ubi haec ratio propter verbi naturam non valet: Plaut. Asin. 676 ‚Cape hoc sis, Libane. || Furcifer, etiam me **delusisti?**' Ter. Heaut. 886 ‚Hahahae. || Quid **risisti?**' Comparandi sunt duo loci Plautini, quibus verbum deponens perfecto positum est, cum res ipsa praesens desideret: Truc. 604 ‚quor **ausus**' mi inclementer dicere?' Amph. prol. 89 ‚Quid id **estis admirati?**'

3. Saepius etiam passivi perfectum praesentis locum obtinuit. Ita Plautus nonnunquam dictionem „facere (ut)" cum coniunctivo perfecti coniungit: Capt. 736 ‚In lapicidinas **facite deductus siet.**' Asin. 90 ‚**Face** id **ut paratum** iam **sit.**' Pseud. 190 ‚**Fac sis sit delatum** huc mihi frumentum.' Men. 992 ‚**Facite** illic homo iam in medicinam **ablatus** sublimen **siet.**' Amph. prol. 59 ‚**Faciam ut commixta sit** haec tragoedia.' In eiusmodi locutionibus participium perfecti passivi prope accedit ad nominis adiectivi vim, quod magis etiam usu Catoniano perspicuum est: Cat. r. r. 45, 1 ‚locus bipalio **subactus siet** beneque terra tenera siet beneque glittus siet.' 103 ‚Boves uti valeant et **curati** bene **sient** — pabulum quod dabis amurca spargito. — ita boves et corpore **curatiores** erunt et morbus aberit.' 2, 1 ‚ubi cognovit, quo modo fundus **cultus siet** operaque quae **facta infectaque sient**, postridie eius diei vilicum vocet.' orat. rel. XXXII, 1 (Jordan) ‚ubi **irata facta est.**' Simili modo Varro perfecto passivi utitur: r. r. II, 8, 5 ‚Hi si in palustribus locis atque uliginosis nati, habent ungulas molles; idem si **exacti sunt** aestivo tempore in montes, quod fit in agro Reatino, durissimis ungulis fiunt.' II, 7, 2 ‚saepe vel quinque milia (columbarum) **sunt inclusae**'. l. l. I § 14 ‚Locus est, ubi **locatum** quid **esse** potest.' Huc etiam referendum videtur, quod verba impersonalia „complacitum est, lubitum est, conlubitum est" pro praesentibus „placet, lubet" usurpantur: Plaut. Amph. 106 ‚si ei quid **complacitumst** semel.' 343 ‚Servosne es an liber? || Utcunque animo **conlubitumst** meo.' Varr. l. l. IX § 34 ‚ut quoique fabro **lubitum sit.**' Cf. Plaut. Asin. 110 ‚Ubi eris? || Ubiquomque **lubitum erit** animo meo.'

Tales igitur locutiones, insolentius sane in aures nostras incidentes, quae in sermone Ciceroniano infectae actionis forma enuntiari soleant, a priscis scriptoribus saepius, ut quae in perfectionis statu sint, cogitari demonstrant.

4. Eiusdem generis est alia constructio in prisca latinitate frequentata; etenim non solum verbum habere, sed etiam dare, reddere, facere alia saepenumero cum participio perfecti passivi consociantur, quo perfectionis status maxime intenditur.

Iis quae Draegerus[1]) affert exemplis addenda sunt haec: Plaut. Mil. 48 ‚nullos **habeo scriptos.**' Stich. 362. Epid. 529. Bacch. 550, 572. Merc. 360. Mil. 564, 886 (882 Ribb.). Rud. 21, 749. Ter. Phorm. 744. Varr. Men. 302. r. r. I, 65 ‚Genera sunt vini, in quo Falerna, quae quanto plures annos **condita habuerunt**, tanto, cum **prompta**, sunt fructuosiora. III, 3, 2. 5, 5. l. l. IX § 1. — Plaut. Capt. 364 ‚ego te huic **dedi aestumatum** viginti minis.' Mil. 208, 1174 (1169 Ribb.). Ter. Andr. 683. — Plaut. Mil. 1214 (1208 Ribb.) ‚**Reddam impetratum.**' Capt. 345. Asin. 122. Ter. Phorm. 856, 974. Eun. 277. — Plaut. Rud. 800 ‚Ego te hodie **faxo** recte **acceptum**, ut dignus es.' — Plaut. Capt. 446 ‚Satin habes, mandata quae sunt, **facta** si **refero?**'

Cum horum verborum, quibus efficiendi inest vis, structura Draegerus[2]) comparat Ter. Andr. 684 sq. ‚**inventum** tibi **curabo** et mecum **adductum** Tuom Pamphilum', et recte explicat: „curabo, ut inventus sit," quod respondeat coniunctivo futuri exacti. Itaque legimus Coel. Antip. II, 25 (Peter) ‚diequinti Romae in Capitolium **curabo** tibi cena **sit cocta.**' Quibus adiecerim locum Plautinum: Capt. 203 sqq. ‚At pigeat postea Nostrum erum, si suos eximat vinculis Aut **solutos sinat.**'

5. Cum hac consuetudine etiam cohaeret, quod verba velle, oportere similia saepe infinitivum perfecti adsciscunt. Sunt qui hanc structuram cum graeco infinitivo aoristi comparent, sed eae ipsae, de quibus mentionem fecimus, dictiones ostendunt, hic eandem valere rationem atque infinitivum perfecti logici[3]) agnoscendum esse, qui ab illorum verborum natura minime abhorret. Quod clarius elucet his locis: Plaut. Bacch. 759 ‚Iam bis **bibisse oportuit**': „Du solltest längst zweimal getrunken haben." 1017 ‚**Prius cavisse** ergo quam pudere **aequom fuit**': „Es wäre besser, du hättest dich vorher vorgesehen, als dass du dich (jetzt) schämst." Ter. Ad. 180 ‚Ante aedis non **fecisse erit melius** hic convitium.' Huc accedit, quod perfecti activi infinitivo frequentior est infinitivus perfecti passivi atque plurimis locis Plautinis et Terentianis solum participium legitur: Plaut. Poen. 872 ‚**Nolito** edepol **devellisse.**'[4]) Ter. Heaut. 978 ‚Abiit? vah, **rogasse vellem**'. Hec. 563 ‚Interdico, ne **extulisse** extra aedis puerum usquam **velis.**' Enn. Trag. 379 ‚Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit **periisse expetit.**' Luc. V, 145 ‚Ut **periisse velis**, quem visere nolueris, cum debueris.' Cat. r. r. 5, 4 ‚nequid **emisse velit** insciente domino, neuquid dominum **celavisse velit.** — Chaldaeum nequem **consuluisse velit.**' — Cf. Cat. orat. rel. XVIII, 1 ‚Domi cum auspicamus, honorem **me** dium immortalium **velim habuisse.**' — Plaut. Stich. 127 ‚**esse** ambas **conventas volo.**' Pseud. 905 sq. ‚Si unquam quemquam di immortales **voluere esse** auxilio **adiutum**, Tum me et Calidorum **servatum volunt esse** et lenonem **extinctum.**' Ter. Andr. 510 ‚Prorsus a me opinionem hanc tuam **esse** ego **amotam volo.**' Plaut. Rud. 1193. Ter. Phorm. 153. — Plaut. Bacch. 495 ‚**Factum volo.**' id. Aul. 146. Asin. 685. Ter. Phorm. 787. Plaut. Cist. 4, 2, 39 ‚sunt qui **volunt** te **conventam.**' Men. 1120 ‚Di me

---

[1]) Hist. Synt. I § 143. [2]) Hist. Synt. I § 143. [3]) Idem sentiunt Reisig et Haase, Reisigs Vorl. § 290, Anm. 453. Madvig, Opusc. acad. II, p. 119. [4]) Ita enim cum Goetzio et Loewio legendum videtur esse, cum codices haec praebeant: A solus ‚noli', ceteri ‚nolito'; deinde omnes codices ‚devellisse', nisi quod A ‚develisse'. Geppertus coniecit: ‚devellere istaec'.

servatum volunt.' Aul. 504, 677. Asin. 120. Stich. 191. Curc. 83, 335. Men. 1120. Ter. Heaut. prol. 26. Ad. 919. Plaut. Epid. 119 ,**Malim** istiusmodi mihi amicos furno **mersos** quam fero.' Ter. Ad. 165 ,**Nollem factum.'** Plaut. Truc. 877 ,**factum cupio.'** Rud. 1164 ,Di me **servatum cupiunt.** || At me **perditum.'** Curc. 304. Bacch. 778. — Plaut. Amph. 944 ,Primum **cavisse oportuit**, ne diceres.' Poen. 526 ,Pridie nos te advocatos huc **duxisse oportuit.'** Ter. Andr. 238 sq. ,nonne **oportuit Praescisse** me ante? nonne prius **communicatum oportuit?'** — Plaut. Most. 1093 ,**Factum** iam **esse oportuit.'** Bacch. 819 ,(Hunc —) Plus iam viginti (sc. annis) **mortuom esse oportuit.'** — Mil. 1336 (Ribb. 1331) ,Aurem **admotam oportuit.'** Stich. 354 ,Faciam. || **Factum oportuit.'** Amph. 740. Men. 995. Truc. 510. Ter. Heaut. 536, 635. — Plaut. Stich. 232 ,Haec **venivisse** iam **opus est** quantum potest.' Mil. 725 sq. (723 sq. Ribb.) ,**aequom fuit** Deos **paravisse,** uno exemplo ne omnes vitam viverent.' 276 sq. ,Te, Palaestrio, **Volup est convenisse.'** Cas. 1, 1, 24 ,(me —) **satiust mortuom.'** Varr. l. l. VIII § 43 ,Quare quod ad universam naturam verborum attinet, haec **attigisse** modo **satis est.'** Corn. II, 21, 34 ,**Satis** enim **fuerat dixisse'** (sequitur: ,**satis fuit exponere'** — ,**satis erat dicere.'**). IV, 27, 37 ,**utilius sit** occulte **fecisse** suspitionem, quam eiusmodi **intendisse** orationem, quae redarguatur.'

Verbum p o s s e cum infinitivo perfecti coniunctum invenimus Plaut. Aul. 828 ,non **potest probasse** nugas.' Varr. l. l. IX § 32 ,Quis enim **potest** non una **animadvertisse.'** Similem in modum infinitivum perfecti coniunctivo eiusdem temporis respondentem legimus Corn. II, 28, 45 ,fieri enim potest, ut, cum alteros magis **laudaris,** aliquam alteris partem laudis adtribuas, ne cupidius **pugnasse** contra veritatem **puteris.'** II, 30, 41 ,non **ausim** dicere, ne, cum te digna **dixerim,** me indignum quippiam **dixisse videar.'**

6. Omnes igitur huius modi elocutiones actionem loquentis animo multo saepius perfectam cogitari, quam res poscat, ostendunt. Iam ad aliud dicendi genus transeamus, quod vocant p e r f e c t u m c o n s u e t u d i n i s sive g n o m i c u m. Sententiae enim communes nonnunquam perfecto afferuntur, quo rem aliquam usu comprobatam esse significatur. Hoc perfectum viri grammatici partim logicum partim historicum esse malunt. Sed videamus exempla, e quibus Draegerus unum tantummodo a priscis scriptoribus petitum habet quod afferat: Mil. 695.[1]) Plaut. Pers. 582 ,generi lenonio Numquam ullus deus tam benignus **fuit** qui **fuerit** propitius.' Capt. 256 ,Etiam quom cavisse **ratus est,** saepe is cautor **captus est.'** Rud. 400 sq. ,Nam multa praeter spem scio multis **evenisse.** || At ego etiam qui **speraverint,** spem **decepisse** multos.' Amph. 899 sq. ,Ita ingenium meumst: Inimicos semper **osa sum** optuerier.' Mil. 1023 (1018 Ribb.) ,Pedetemptim tu hau scis tractari **solitas esse** huius modi mercis.' Capt. prol. 44 sq. ,itidem ut saepe iam in multis locis Plus insciens quis **fecit** quam prudens boni.' Enn. Trag. 220 sq. ,Multi suam rem bene **gessere** et publicam patria procul, Multi qui domi aetatem agerent, propter ea **sunt inprobati.'** Enn. Ann. VII, 156 sq. ,Nec quisquam sophiam sapientia quae perhibetur, In somnis **vidit** prius quam sam discere **coepit.'** VIII, 195 sqq. ,multa dies in bello conficit unus: Et rursus multae fortunae forte recumbunt: Haudquaquam quemquam semper fortuna **secuta est.'** Sext.

[1]) Histor. Synt. I § 127.

Turp. Com. 142 sqq. ‚Profecto ut quisque minimo contentus **fuit**, ita fortunatam vitam **vixit** maxime.' Dec. Lab. Com. 98 sqq. ‚Necessitas, cuius cursus transversi impetum **voluerunt** multi effugere, pauci **potuerunt** ct.' Varr. Men. 288 sq. ‚Nemini Fortuna currum a carcere intimo missum Labi inoffensum per aecor candidum ad calcem sivit.' 513 ‚Crede mihi, plures dominos servi **comederunt** quam canes.' r. r. II, 9, 1 sq. ‚prope enim haec apris, qui in silvis saepe dentibus canes **occiderunt**. Quid dicam de pecore maiore? cum sciam mulorum gregem, cum pasceretur et eo venisset lupus, ultro mulos **circumfluxisse** et ungulis caedendo eum **occidisse**, et tauros solere adversos adsistere clunibus continuatos et cornibus facile propulsare lupos.' l. l. VII § 109 ‚Nemo **reprehensus** qui e segete ad spicilegium **reliquit** stipulam.' Corn. 2, 19, 29 ‚Si multos **induxit** in peccatum pecuniae spes, si conplures se scelere **contaminarunt** imperii cupiditate, si multi leve compendium fraude maxima **commutarunt**, cui mirum videbitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse?'

E quibus exemplis perfecti logici naturam cum Draegero nobis videmur agnoscere; velut illud Ennianum ‚Multi suam rem bene gessere et publicam patria procul ct.' idem est quod ‚factum est, ut multi s. r. b. gererent ct.' sive ‚hoc constat factum multos — bene gessisse.' Atque parem in modum cetera exempla interpretanda sunt, etiam ea, quae particulam temporalem vel generalis notionis subiectum non habent, sed certo quodam nomine utuntur subiecto. Itaque Plaut. Mil. 695 ‚tum obstetrix' **expostulavit** mecum, sibi missum parum' sic intellegimus: „Dann ist es vorgekommen, dass die Hebamme mir Vorwürfe gemacht hat, dass man ihr zu wenig geschickt habe." Quae interpretatio etiam magis confirmatur, si usum illum praesentis in memoriam revocamus, quo res semel ab aliquo facta in universum quasi eius solita agendi ratio pronuntiatur.[1])

V.

1. Plusquamperfectum, quod rem praeteriti temporis peractam proprie significat, pariter ac perfectum duplicem omnino praebet usum, prout res praeterita aut simpliciter narratur, aut actionis eventus sive status, in quem perducta est res, magis premitur. E. Hoffmannus[2]), qui primus haec duo genera recte perspexit atque constituit, plusquamperfectum non semper, ut diu docuerunt viri grammatici, vi relativa, sed etiam absolute usurpari ostendit, sed hanc absolutam vim nisi alteri illi generi, quod imperfecto respondet, non inhaerere censet. Lübbertus[3]) vero huius rationis fines aqud priscos scriptores etiam latius patere affirmat et nonnullos affert locos Plautinos, quibus neque actionis perfectae status hoc tempore describitur neque certum, ad quod referamus, prae-

[1]) p. 6. [2]) Zeitpart. p. 15 sqq. [3]) Synt. von Quom p. 168.

teriti temporis momentum licet animadvertere. Ad veram autem cognitionem parum expedit Lübberti interpretatio, qui eiusmodi plusquamperfecta de longiore temporis spatio, quo ipsa res a loquentis momento distet, intellegi vult. Immo plusquamperfectis illis rem praeteritam nulla alterius actionis relatione simpliciter enarrari videmus.

2. Imprimis frequens est hic usus in verbis dicendi, quorum usitatissimum est plusquamperfectum „dixeram“: Plaut. Rud. 94 sq. ‚Nunc huc ad Veneris fanum venio visere, Ubi rem divinam se facturum **dixerat.**‘ Cas. 3, 4, 9 ‚Quin tu suspendis te? Nempe tute **dixeras**, Tuam arcessituram esse hinc uxorem meam.‘ Ter. Heaut. 500 sq. ‚ibo (ac) dicam, ut **dixeram**, Operam daturum me, hodie non posse eis dare.‘ Pseud. 565. Truc. 133. Aul. 287. Amph. 691, 761, 916, 919. Capt. 194. Rud. 864. Merc. 760. — Aul. 697 sq. ‚Strobilum miror, ubi sit, quem ego me **iusseram** Hic opperiri.‘ Curc. 425 sq. ‚Quod istic scriptumst, id te orare **iusserat** Profecto ut faceres.‘ — In eodem sententiarum conexu vv. 420 sqq. perfectum ‚iussit‘ positum est: ‚Multam me tibi Salutem **iussit** Therapontigonus dicere Et has tabellas dare me **iussit.**‘ — Pseud. 961. Curc. 560. Cas. 2, 1, 4. Asin. 714 sq. ‚Etiam tu, ere, istunc amoves aps te atque ipse ad me adgredere Atque illa sibi quae **iusserat** mihi statuis supplicasque?‘ — Rud. 850 ‚Is nunc cum servis servat: ego **mandaveram.**‘ id. Stich. 652. — Stich. 515 sq. ‚nam ille heri me iam **vocaverat** In diem hunc.‘ Aul. 683 sq. ‚nunc te opsecro Resecroque, mater, quod dudum **obsecraveram.**‘

3. Sed aliorum quoque verborum plusquamperfectum aliquoties invenitur: Plaut. Capt. 938 ‚Postulo aps te ut mi illum reddas servom, quem hic **reliqueram.**‘ Aul. 759 ‚Illam ex Silvani luco quam **obstuleras**, cedo.‘ Pseud. 148 sq. ‚Atque heri iam **edixeram** omnibus **dederamque** suas provincias: Verum ita vos estis neglegentes ct.‘ Ter. Phorm. 893 ‚Quo me **adsimularam** ire ad mercatum, non eo.‘ Ad. 26 sq. ‚non rediit hac nocte a cena Aeschinus Neque servolorum quisquam, qui advorsum **ierant.**‘ Most. 786 **‚miseras.‘** Rud. 555 **‚acceperam.‘** Rud. 1187 **‚evenerat,‘** Aul. 312 **‚dempserat.‘** Pseud. 618 **‚dederat.‘** Ter. Heaut. 330 **‚reddideras.‘** Ad. 347 **‚amiserat.‘** Hec. 142 **‚duxerat.‘**[1])

4. In eiusmodi igitur plusquamperfectis quamquam minus fere offenditur, si aliquod temporis spatium inter actionem et elocutionem intercessit, tamen ad verbi formas recte diiudicandas, ut suo iure monet Hoffmannus, hoc ipsum parum refert neque usu comprobatur; velut Plaut. Asin. 715 ‚iusserat‘ ad ea verba pertinet, quae proxime praecedunt (v. 712 sq.), item Most. 519 ‚An quaeso tu appellaveras‘ ad vocem modo auditam ‚heus Tranio‘ (v. 515) spectat. — Eorum quoque sententia, qui plusquamperfectum adhiberi dicunt, si quid ad rem antea commemoratam recurrat, ad pauca tantummodo quadrat exempla.

5. Certe haec plusquamperfecta absoluti temporis vi in modum aoristi posita ad communem illorum scriptorum normam referenda sunt, quorum omnino rei perfectae significationem magis propriam esse demonstravimus, quam in Ciceroniana oratione usui esse solet. Quam rationem ab eis verbis, quibus inchoativa inest vis, profectam ab iis-

[1]) Recte igitur is qui prologos scripsit morem Plautinum imitatus est Aul. prol. 33 ‚id ea faciam gratia, quo ille eam facilius ducat qui **conpresserat,**‘ neque est cur mutemus plpf. in ‚compresserit,‘ ut Wagnerus proponit. Confer etiam Men. prol. 57 et Capt. prol. 17 **‚dixeram.‘**

que ad alia esse translatam verisimile est. Sobrie de hac re disseruit C. Foth[1]), qui apud scriptores Ciceroniana aetate posteriores tempora perfectae actionis magis magisque in usum esse recepta et in rei infectae temporum statum quasi esse reiecta ostendit, ita ut perfectum, plusquamperfectum, futurum exactum in praesentis, imperfecti, futuri simplicis locum successerint, atque huis rei exempla iam in prisca latinitate non deesse monet. Imprimis perfectum „fui" referendum esse docet ad praesens „fuo" (gr. φύω) „ich werde," ut non solum „ich bin gewesen," sed etiam „ich bin geworden, ich bin" significare possit.[2]) Quod quidem usu comprobari videmus. Clare enim vis inchoativa elucet duobus his locis, quorum altero „fuit" praesentis, altero perfecti forma videtur esse: Plaut. Amph. 180 sq. ‚Sum vero vere verbero: numero mihi in mentem **fuit**,[3]) Dis advenientem gratias pro meritis agere atque adloqui.' Varr. l. l. VI § 13 ‚Terminalia quod is dies anni extremus constitutus; duodecimus enim mensis **fuit** Februarius et cum intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense.' — Aliquoties plusquamperfectum et futurum exactum „fueram" et „fuero" pro „eram" et „ero" leguntur: Plaut. Amph. 458 ‚Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac **fuerat**, possidet.' Capt. 305 ‚Me qui liber **fueram**, servom fecit.' Ter. Phorm. 781 ‚praesens quod **fuerat** malum, in diem abiit: plagae crescunt'. Eun. 258 ‚Quibus et re salva et perdita **profueram** et prosum saepe.' Plaut. Capt. 315 ‚Bene merenti bene **profuerit**, male merenti par erit.' Mil. 306 sq. ‚Nunc si indicium facio, interii; si taceo, interii tamen, Si hoc palam **fuerit**.' — Itaque iam Holtzius (II, p. 88) et Draegerus (I § 134) quattuor afferunt locos Plautinos, ubi verbum „fui" cum participio perfecti deponentis coniungitur: Mil. 118. Amph. 186. Poen. 1347. Poen. prol. 40. Quibus addendi sunt hi: Plaut. Rud. 217 ‚Leibera ego **prognata fui** maxume, nequiquam **fui**.' Amph. 430 ‚ut matre natum **fuerat**.' 457 ‚si forte **oblitus fui**.' Bacch. 298 ‚Non me fefellit, sensi: eo **exanimatus fui**.' Curc. 566 ‚Quod **fui iuratus** feci.' Corn. II, 5, 8 ‚dicet eum usque adeo **praemeditatum fuisse**.' 26, 41 ‚**iuratus fuerit**.'

6. Nec minus ad nostram quaestionem videtur pertinere, quod prisci scriptores omnino f u t u r o e x a c t o p r o s i m p l i c i f u t u r o utuntur. De quo tempore identidem viri docti, imprimis Madvigius[4]) et Lübbertus, subtiliter disputarunt, ut hac pertractatione supersedere posse nobis videamur. Madvigius enim cum varios usus diligenter diiudicavit, tum saepenumero etiam hoc tempus absoluta vi positum esse vidit, sed primitivam eius naturam relativi temporis esse contendit. Lübbertus contra futurum exactum principio actionem futuram in perfectionis statu cogitatam simpliciter significasse atque ex hac absoluta vi postea demum relativam notionem derivatam esse censet eamque rationem ceterorum temporum similitudine defendi monet. Nuper Th. Meifart[5]) contra Madvigii sententiam demonstravit, futurum exactum ita usurpari, ut meram futuri simplicis vim exhibeat. Eodem igitur modo veteres Latini rem praeteritam perfectionis forma haud raro enuntiasse putandi sunt, quamquam aliud factum aut certum temporis punctum non simul respicerent.

---

[1]) Die Verschiebung lateinischer Tempora in den romanischen Sprachen. E. Boehmer, Romanische Studien. Heft VIII. [2]) cf. G. Curtius, De aoristi latini reliquiis, in Studien zur griech. u. latein. Gramm. 5. Bd. p. 437 sq. [3]) cf. Curc. 558 ‚mihi in mentem venit.' [4]) in commentatione p. 3 allata. [5]) De futuri exacti usu Plautino. Jenae, 1885.

7. Saepe vero iam ab illis plusquamperfectum ad exprimendam temporalem actionum relationem adhibitum est. Haud raro etiam legitur, ubi praeteriti temporis momentum, ad quod spectet, verbo non est indicatum, sed ex universo rerum conexu facile expletur. Plaut. Most. 519 ad Theopropidis quaestionem ‚Quicum istaec loquere?' Tranio respondet: ‚An quaeso tu **appellaveras?**' Plusquamperfecto significare vult, in animo sibi esse exclamationem quandam ante illa quae modo fecerit verba a se auditam, versus 515. scilicet vocem: ‚Heus Tranio.' — Stich. 251 interrogat Gelasimus parasitus: ‚Iamne exta cocta sunt? quot agnis **fecerat?**' Plusquamperfectum facile intellegitur de tempore illo, quo Crocotium domo emissa est, ut Gelasimum adscisceret (cf. v. 248.). — Ter. Ad. 174 ‚Non **innueram.**' Sententia est haec: Aeschinus Parmenonem iussit (v. 171), simulatque ipse oculis signum dedisset, Sannioni colaphum infligere, Parmeno autem illius nutum non exspectans sua sponte plagam Sannioni intulit. Cuius actionis respectu recte plusquamperfecto utitur Aeschinus: ‚non innueram.' — Eun. 664 sqq. ‚Perii, obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem. || At pol ego amatores eos mulierum esse **audieram** maxumos. Sed nil potesse: verum miserae non in mentem venerat.' ‚audivi' est perfectum praesens, plusquamperfecto ‚audieram' autem tempus respicitur, quo facinus commissum est, ut ex iis quae sequuntur verbis perspicitur: ‚Nam illum aliquo conclusissem neque illi commisissem virginem.'

Utrum vero similis ratio loquentis animo obversetur an plusquamperfectum prorsus sua vi positum sit, in singulis exemplis difficile est ad diiudicandum, velut Plaut. Capt. 708. Curc. 42, 560. Pseud. 54. Ter. Hec. 298, 368. al.

8. In comicorum sermone de tempore loquendi momento proxime praegresso ut de praeterito nonnunquam agitur, quin etiam de iis, quae etiamnunc durant, imperfectum usurpatur: Plaut. Capt. 661 sq. ‚Sator sartorque scelerum et messor maxume. || Non occatorem dicere **audebas** prius?' Ter. Eun. 86 sq. ‚Quis hic loquitur? ehem, tu hic **eras**, mi Phaedria? Quid **stabas** hic?' — Qui usus viam nobis munit ad explicanda plusquamperfecti quaedam exempla, velut Plaut. Asin. 449 sq. ‚quam dudum tu advenisti? Non hercle te **provideram.**' Hoc plusquamperfectum illis imperfectis respondet Ter. Eun. 86 sq. ‚eras' et ‚stabas.' Itemque legitur Ter. Andr. 183 ‚Erus est, neque **provideram**' (sc. cum iam aderat). Ad. 373 ‚Ehem Demea, haud **aspexeram** te.' Simili modo apud Plautum „coeperam, inceperam, occeperam" nonnunquam pro imperfecto verbi finiti legitur: Asin. 125 ‚Set quid ego cesso ire ad forum quo **inceperam** (sc. ire = quo ibam)?' Epid. 389. Cas. 5, 2, 21. Cf. Varr. Men. 520 ‚quod **coeperas** modo in via narrare ut ad exodium ducas.'

9. Maxime vero plusquamperfectum infinitum quoddam tempus praeteritum esse apparet, cum opponitur perfecto logico: Plaut. Aul. 635 ‚Nil equidem tibi **apstuli.** || At illud quod tibi **apstuleras** cedo.' Bacch. 957 sq. ‚Nam dudum primo ut **dixeram** nostro seni mendacium, — ibi signum ex arce **apstuli.**' ‚dixeram' et ‚apstuli' de una eademque re praedicantur. Perfecto rei eventus, qui praesenti tempore exstet, intenditur, plusquamperfecto autem ipsa actio praeterita significanter videtur denotari.

10. Plusquamperfectum ‚volueram' haud ita alienum nobis videbitur, si animad-

verterimus, eiusdem verbi perfectum et imperfectum inveniri, si quis quod velit ipso loquendi tempore perfici videat aut ne tunc quidem cupere desinat. Optionem igitur rei praecedere cogitatur, itaque quo iure imperfectum legitur his locis: Plaut. Bacch. 188 sq. ,Nempe recte valet? || Istuc **volebam** ex te percontarier,' Ter. Heaut. 256 ,Sed eccos video quos **volebam**,' eodem plusquamperfectum defendi potest in his enuntiatis: Plaut. Pseud. 424 sq. ,Quo in commeatum **volueram**[1]) argentarium Proficisci, ibi nunc oppido opsaeptast via.' 676 sq. ,Iam instituta, ornata cuncta in animo, ut **volueram**, ordine Certa, deformata habebam.' Rud. 707 sq. ,Huc respice. Optume: istuc **volueramus**' (sc. quod factum esse videmus). — Magis autem a vulgari cogitandi et dicendi ratione discrepat plusquamperfectum Capt. 309 ,hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, **volueram**.' Spectat enim ad id quod sequitur. Neque tamen cum Brixio, quem nuper secutus est Fr. Schoell, codicum scriptura in ,voluerim' mutanda est, etenim similem usum invenimus Ter. Heaut. 866 ,Desponsam quoque esse dicito. || Em, istuc **volueram**,' ubi plusquamperfectum absolute positum est de tempore ipsis verbis praegresso. Quibus exemplis comprobari videtur quod sentit Foth[2]), verbum „velle" atque omnino ea, quibus status alicuius sive condicionis insit vis, quondam vi inchoativa simul esse usurpata, ita ut „volui" esset: „ich habe beschlossen, ich will," atque, ut supra commemoravimus, verbum perfectum a rei infectae formis, quibus responderet, notione vix differret.

11. Ut verbum velle, ita etiam posse, debere, oportere, aequom esse, similes dictiones modales indicativo imperfecti et perfecti ponuntur, si quid praesenti tempore fieri posse, debere ct. contenditur, quod re vera non exstet. Talis enim potestas, necessitas, opportunitas cogitatione fingitur, qualis per se constet atque prior sit re ipsa. Plaut. Mil. 911 (906 Ribb.) ,Bonus vates **poteras** esse: nam quae sunt futura dicis.' 803 ,Non **potuit** reperire, si ipsi Soli quaerundas dares.' Ter. Heaut. 785 ,Scite **poterat** fieri.' Plaut. Curc. 110 ,Canem esse hanc quidem magis **par fuit**: sagax nasum habet.' Ter. Phorm. 155 ,Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem, ut **par fuit**.' Plaut. Epid. 382 sq. ,Non oris causa modo homines **aequom fuit** Sibi habere speculum.' Bacch. 1017. Mil. 725 (723 Ribb.), 730 (728 Ribb.). Rud. 269 Epid. 388 ,**Fuit conducibile** hoc.' Pers. 168 ,**Satius fuit** indoctae, inmemori, ins ipientidicere totiens.' Varr. l. l. § 48 ,quod est ut Praedium, Balneum, **debuerunt** esse plura ut Praedia, Balnea, quod non est; non est ergo in his quoque analogia.' ,**debebant**' VIII § 65. al.

12. Saepe vero eiusmodi imperfecta et perfecta ad praeteritum tempus pertinent, id quod semper fieri videmus, si cum infinitivo vel participio perfecti constructa sunt.[3]) Eadem est ratio, ubicunque plusquamperfectum legitur: Plaut. Trin. 119 ,Ei rei operam dare te **fuerat** aliquanto **aequius**.' Curc. 266 ,incubare **satius** te **fuerat** Iovi.' Ter. Hec. 284 sq. ,Quanto **fuerat praestabilius**, ubivis gentium agere aetatem.' Plusquamperfectum cum infinitivo perfecti consociatum invenimus Corn. II, 21, 34 ,**satis** enim **fuerat dixisse**.' Proximis his locis indicativus plusquamperfecti respondet eiusdem temporis coniunctivo

---

[1]) E coniectura Ritschelii; libri enim praebent ,volui,' quod metro repugnat. [2]) l. l. p. 313 sq. [3]) V. p. 26 sq.

in enuntiatis condicionalibus usurpato. Hac modi irrealis vi indicativum plusquamperfecti uno tantum loco positum invenimus, ubi verbo non est notio modalis: Plaut. Mil. 52 sq. ‚Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul, Ni hebes machaera foret, uno ictu **occideras.**‘ Genuina enim videtur esse haec unius codicis A scriptura (plerique praebent ‚occideris‘, ga ‚accideris‘ alii ‚occideres‘). Hoc enim loco de industria indicativum positum esse verisimile est, ut iocosa illa parasiti assentatio, summa quasi confidentia prolata, eo magis ridicule in aures caderet. Brixii[1]) autem opinio, ‚occideras‘ metri causa pro ‚occidisses‘ dictum esse, minime est probabilis. Nihil enim obstabat, quin poeta ut in protasi ‚foret‘, ita in apodosi ‚occideres‘ diceret, praesertim cum coniunctivus imperfecti, ut ipse Brixius recte adnotavit ad v. 30 ‚in hunc modum saepius apud poetas comicos legatur: Cist. 2, 3, 81 ‚Nam ni intellexes, numquam credo amitteres‘. Ter. Andr. 138 ‚diceret‘ = ‚dixisset.‘ Plaut. Bacch. 198. Ter. Andr. 53.

In universum igitur apud priscos scriptores absoluta cuiusque temporis apparet notio, eaque vis primitiva non solum in sententiis primariis, sed etiam in enuntiatis ex aliis pendentibus magna ex parte servata est. Hoc enim modo explicandae sunt frequentes illae enuntiationum compositiones, quae aureae latinitatis concinnitati et concordiae quae vocatur temporum repugnant. Ad ea quae iam attulimus exempla adiciamus haec: Plaut. Men. 714 sq. ‚Non tu scis, mulier, Hecubam qua propter canem Graii esse **dicebant?**‘ Ter. Eun. 338 ‚Scin, quid ego te **volebam?**‘

Haud raro perfectum legitur, ubi iusta temporum relatio plusquamperfectum postulat: Plaut. Men. 563 sq. ‚Pallam ad phrygionem cum corona hic ebrius ferebat, hodie tibi quam **surrupuit** domo.‘ Imprimis apud Plautum et Terentium singulorum temporum provinciae parum fixae atque determinatae videntur, quod maxime in narratione continua perspicuum est. Ibi enim, ut supra demonstravimus, perfectum et praesens historicum, item perfectum et imperfectum promiscue usurpantur minimeque ad describendam condicionem sive statum, in quo quis versetur, e posteriore illa consuetudine vulgo imperfectum adhibetur, sed saepe etiam perfectum ponitur. Plaut. Curc. 350 ‚Vocat me ad cenam: **religio fuit**, denegare **nolui.**‘ Capt. 912 sqq. ‚Quasi lupus esuriens **metui** ne vel in me faceret impetum: — Nimisque hercle ego illum male formidabam.‘ Amph. 235 ‚Denique ut **voluimus**, nostra suberat manus.‘ Ter. Eun. 622 ‚invitat tristis: **mansit**‘. Andr. 926 sq. ‚Is mihi **cognatus fuit**, Qui eum recepit.‘ Eun. 134 sq. ‚Producit, vendit. forte fortuna **adfuit**. Hic meus amicus: emit eam.‘

Mirum in modum tempora commutantur his locis Plautinis: Amph. 383 sq. ‚Amphitruonis te esse **aiebas** Sosiam. || **Peccaveram**: Nam „Amphitruonis socium“ dudum me esse **volui** dicere.‘ ‚aiebas‘, ‚peccaveram‘, ‚volui‘ de una eademque actione dicuntur. Similis ratio deprehenditur Pseud. 1116 sqq. ‚Nam in taberna usque adhuc **siverat** Surus, Quoi dedi sumbolum. **mansi** ut **iusserat**: Leno ubi esset domi me **aibat** arcessere‘. ‚siverat‘ et

---

[1]) adnot. ad hunc versum.

‚mansi‘ in unum tempus cadunt, cui praecedunt haec tria: ‚dedi‘, ‚iusserat‘, ‚aibat‘. — Hic duas illas, quas exposuimus, priscae latinitatis proprietates coniunctas videmus: etenim actionis perfectae notio admodum debilitata vel etiam plane neglecta est, et absoluta cuiusque temporis vis ita deprehenditur, ut in eiusdem sententiae tenore nulla temporum inter se relatio observetur. Itaque plusquamperfectum pariter cum perfecto et imperfecto aoristi munus suscepit atque haec tempora promiscue sese excipiunt.

Vita.

Natus sum Josephus Amandus Schneider die I. mensis Aprilis a. h. s. LIII. in vico regionis Nissensis, cui nomen est Altpatschkau, patre Francisco, matre Johanna e gente Wagner, quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum primordiis domi imbutus inde ab anno h. s. LXVI. gymnasium frequentavi Nissense, quod tum auspiciis v. cl. Julii Zastra florebat. Maturitatis testimonio instructus autumno a. h. s. LXXV. Vratislaviam me contuli studiis philologicis operam navaturus. Inter cives academicos a v. cl. G. Galle receptus per novem semestria scholis interfui philologicis, philosophis, historicis virorum doctissimorum Bobertag, Dilthey, Elvenich, Freudenthal, Hertz, Ludwich, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Schultz, Weinhold, Weber. Per tria semestria sodalis fui seminarii regii philologici. Studiorum meorum suasore et adiutore imprimis utebar Augusto Reifferscheid, quem ante paucos hos menses subita morte abreptum doleo. Die XVIII. m. Martii a. h. s. LXXXI. examine pro facultate docendi absoluto annum tirocinii paedagogici degi in gymnasio Patschcoviensi. Tum in regiis gymnasiis deinceps Vratislaviensi ad St. Matthiam, Glacensi, Leobsicensi paeceptoris subsidiarii munere functus sum simulque per biennium sodalis fui regii seminarii paedagogici, cuius exercitationes moderabantur vv. ill. Sommerbrodt et Tschackert. Die I. m. Octobris a. h. s. LXXXV. collega ordinarius regii catholici gymnasii Glacensis constitutus sum. — Omnibus vero iis, qui unquam de me bene meruerunt, hac occasione oblata gratias ago quam possum maximas.

Theses.

1. Aeschyl. Eum. 219—221 duos priores versus choro tribuendos atque locum ita legendum esse censeo:

   XO. *ἦ τοῖσιν οὖν κτείνουσιν ἀλλήλους χαλᾷς*
   τὸ μὴ τίνεσθαι μηδ' ἐποπτεύειν κότῳ ;
   AΠ. *οὔ φημ' Ὀρέστην γ' ἐνδίκως σ'ἀνδρηλατεῖν.*

2. Plat. Leg. III 698 D corrigendum existimo: *ὁ δὴ λόγος, εἴτ' ἀληθὴς εἴτε καὶ μὴ , ὅπῃ ἀφίκετο —.*
3. Plaut. Mil. 636 — 684 (ed. Ritschel.) vv. 666 — 668 et v. 675 auctore Ribbeckio spurios esse puto, ceteros omnes eo quo Ritschelius collocavit ordine retinuerim.
4. In gymnasiis nostris linguam latinam atque graecam fundamentum eruditionis et esse et manere oportet.